RHETORICARUM
INSTITUTIONUM
PARS ALTERA
Complectens
QUÆ DE ARTE DICENDI
SUPERSUNT
AD USUM COLLEGII SEMINARII BONONIENSIS.

BONONIÆ MDCCLXVI.

Typis Lælii a Vulpe Inſt. Scient. Typographi,
Superiorum facultate.

Digitized by Google

RHETORICORUM

LIBER I.

Quid ſit Rhetorica; quod officium, & qui finis oratoris.

CAP. I.

R*Hetorica eſt ars bene dicendi*. Dicere autem non eſt idem, quod loqui, ſeu quovis modo verba facere, ſed copioſe, & ornate diſſerere, atque apte ad perſuadendum. nec aliud quidquam eſt pulchre, & oratorie dicere, niſi omnes, aut certe pleraſque aliqua ſpecie illuminare ſententias; atque optimis ſententiis, verbiſque lectiſſime dicere, & appoſite ad auditorum perſuaſionem.

Hinc plane conſtabit oratoris officium, & finis. In officio conſideratur, quid fieri oporteat; in fine, quid officio conveniat. Sic medici officium eſſe dicimus, curare ad ſanandum appoſite; finem ſanare curatione. Erit itaque oratoris officium dicere ad perſuadendum accommodate; finis autem perſuadere dicendo.

Erit igitur eloquens, ſive orator is, qui in cauſſis ita dicet, ut probet, ut delectet, ut flectat. probare neceſſitatis eſt; delectare ſuavitatis; flectere victoriæ.

Part. c. I. Invent. c. V. lib. I. de Orat. c. XXXI. Orat. c. XXI. XXIX. LXVIII.

De Rhetoricæ materia.

CAP II.

MAteriam artis eam dicimus, in qua omnis ars, & ea facultas, quæ conficitur ex arte, verſatur. ut ſi medicinæ materiam dicamus morbos, ac vulnera, quod in his omnibus medicina verſetur. Hac ratione, quibus in rebus verſatur ars, & facultas oratoria, eas res materiam artis Rhetoricæ nominamus.

Erit igitur Rhetoricæ materia omnis quæſtio. Quæſtio dicitur quidquid in diſceptationem oratoriam vocari poteſt, ſeu res omnis, de qua ornate, & copioſe dici poteſt.

Quæſtionum duo ſunt genera; unum infinitum, alterum definitum. Infinitum eſt, in quo aliquid generatim quæritur; quodq. nullis aut perſonis, aut temporibus notatur, hoc modo: *Expetendane ſit eloquentia: expetendine honores.* id autem vocatur Græce *Theſis*, Latine propoſitum, ſive conſultatio. Alterum eſt, quod certis eſt notatum perſonis, & temporibus, & Græce dicitur *Hypotheſis*, Latine cauſſa, ſive controverſia; ut ſi quæras, *num ſit eloquentia imperatori neceſſaria.*

Quamquam vero oratoris videtur eſſe controverſias potius tractare, & cauſſas, definitas nimirum quæſtiones, quam propoſita, & conſultationes, ſive quæſtiones infinitas: in orationibus ta-

tamen elaborandis hanc partitionem minime probat Tullius, quæ diſtinguit hæc duo genera cauſſarum, in quorum uno ſine perſonis, atque temporibus, de univerſo genere quæratur; in altero de certis perſonis, & temporibus agatur. Docet enim, omnes controverſias ad univerſi generis vim, & naturam referri oportere. Sit enim quæſtio definita, num licuerit Opimio reipublicæ cauſſa ex ſenatuſconſulto interficere Gracchum; quod ipſum contra leges licuiſſe negabat Decius. Nihil hic certe vides ad oratoris locos Opimii perſonam, nihil Decii pertinere. De ipſo univerſo genere infinita quæſtio eſt, num pœna videatur eſſe afficiendus, qui civem ex ſenatuſconſulto, patriæ conſervandæ cauſſa, interemerit, quum id per leges non liceret.

Hæc tamen de iis potiſſimum dicta intellige, quæ in judicium veniunt. Nam in aliis quidem cauſſis ſemper juvabit, quum fieri poterit, a propriis perſonis, & temporibus avocare controverſiam, quum latius de genere, quam de parte diſceptare liceat, uti ſuo loco diximus: negari tamen non poteſt, ita ſæpe ex temporibus, & perſonis definitis naſci propria, & certa argumenta, ut citra peculiares illas conditiones nihil ſint valitura. Imo cavendum, quum res eſt temporibus, & perſonis pœnitus accommodata, & obſtricta, ne temere in genus dilabamur; vel in eo diutius immoremur, quam cauſſa poſtulet.

Quæſtionum, quacunque de re ſint, duo ſunt genera; unum cognitionis, alterum actionis. Cognitionis ſunt eæ, quarum finis eſt ſcientia;

ut ſi quæratur; *A naturane jus profectum ſit, an ab aliqua quaſi conditione hominum, & pactione. Sintne veri ſenſus*, Actionis ſunt, quæ referuntur ad aliquid efficiendum, ut: *Sitne ſapientis ad rempublicam accedere*: vel ſi quæratur: *Quibus officiis colenda ſit amicitia*.

Cauſſarum ad oratoris officium ſpectantium tria ſunt genera, Demonſtrativum, Deliberativum, Judiciale. Demonſtrativum eſt, quod verſatur in laudibus, vel vituperationibus. Deliberativum eſt, quod in conſulatione poſitum aliquid ſuadet, vel diſſuadet. Judiciale continet vel accuſationem, vel defenſionem.

I. *Inv.* c. v. I. *Orat.* XXII. II. XXXI. *Top.* XXI. *Part.* XVIII.

De partibus Rhetoricæ.

CAP. III.

OMnis oratoris vis, atq. facultas in eo poſita eſt, ut debeat reperire primum quid dicat; deinde inventa non ſolum ordine, ſed etiam momento quodam, atque judicio diſpenſare, atque componere: tum ea denique veſtire, atque ornare oratione: poſt memoria ſepire; ad extremum agere cum dignitate, & venuſtate. Hinc partes Rhetoricæ conſtat illas eſſe, quas plerique dixerunt. Sunt autem quinque: Inventio, Diſpoſitio, Elocutio, Memoria, Pronuntiatio.

Inventio eſt excogitatio rerum verarum, aut ve-

veriſimilium, quæ cauſſam probabilem reddant. Diſpoſitio eſt rerum inventarum in ordinem diſtributio. Elocutio eſt idoneorum verborum, & ſententiarum ad inventionem accommodatio. Memoria eſt firma animi rerum, ac verborum perceptio. Pronuntiatio eſt ex rerum, & verborum dignitate vocis, & corporis moderatio.

Quibus auxiliis Eloquentia comparetur; ac primum de Arte.

CAP. IV.

TRia enumerantur præcipua, quæ plurimum conducunt eloquentiæ comparandæ, Ars. Exercitatio, & Imitatio. De ſingulis, quæ cenſemus utiliora, præſcribemus.

Ars eſt præceptio, quæ dat certam viam rationemque dicendi. I. ad Her. II. Sive autem hæc proprie ſit ars, ſive artis ſimilitudo; ea certe, ad eloquentiam aſſequendam diligentiſſime colenda eſt. Nam quin diſputemus de remotiſſimis temporibus, & quin repetamus initium uſque a Corace neſcio quo, & Tiſia, qui artis hujus inventores, & principes fuiſſe perhibentur; his certe noſtris temporibus plures inveniuntur etiam ſine litteris naturali quadam eloquentia præſtantes; at nemo in his ſtudiis vel mediocriter verſatus non intelligit, quantum hos inter, & doctos, artiſq. peritos interſit.

Non negaverim tamen alia quædam ad conſequendam eloquentiam eſſe arte majora. Ne-

que dubium quin potiora præceptis exempla cenſeri debeant, quemadmodum etiam prius omni arte illa fuerunt. Nam quæ ſua ſponte homines primum eloquentes dixere, quæque videbantur tum ad delectandum, tum ad commovendum, & perſuadendum magis accommodata, hæc ſolertes obſervabant; ex his certam aliquam dicendi rationem conformabant; unde præceptiones, & ars profecta eſt: quam modo non ſolum minime illiberalem, ſed hæc ſtudia ineuntibus utilem eſſe, & prope neceſſariam vident omnes, & experiuntur. Sed pergamus ad alia.

De Exercitatione.

CAP. V.

EXercitatio eſt uſus aſſiduus eorum, quæ ad artem ſpectant, vel comparandam, vel perficiendam, audiendo, legendo, meditando, ſcribendo. Magnam hujus partem ad imitationem referemus, de qua infra dicendum. Caput autem eſt, quod minime facimus (eſt enim magni laboris, quem plerique fugimus) quam plurimum ſcribere. Stilus enim optimus, & præſtantiſſimus dicendi effector, ac magiſter, uti Craſſus docet lib. I. de Orat. cap. XXXIII.

Sed ut calamum hac ratione cum fructu exerceas, commentatione, & cogitatione eſt opus, atque in primis ea, quæ in rebus omnibus plurimum valet, diligentia. Nam quum ad inveniendum in dicendo tria requirantur, acumen, dein-

deinde ratio, quam licet (ſi volumus) appellemus artem, tertium diligentia: non poſſum equidem non ingenio primas concedere: ſed tamen ipſum ingenium diligentia ex tarditate incitat. Hæc præcipue colenda eſt nobis: hæc ſemper adhibenda; hæc nihil eſt, quod non aſſequatur. *lib.* II. *de Orat. cap.* xxxv.

Hinc omnes ſive artis ſint loci, ſive ingenii cujuſdam, atque prudentiæ, diligenter inquirentibus, ac tentantibus nobis, omnique acie mentis perveſtigantibus oſtendunt ſe, & occurrunt; omneſque ſententiæ, verbaque omnia, quæ ſunt cujuſque generis maxime illuſtria, ſub acumen ſtili ſubeant, & ſuccedant neceſſe eſt: tum ipſa collocatio, conformatioque verborum perficitur in ſcribendo, non poetico, ſed quodam oratorio numero; dummodo legendis, vel audiendis hoc dicendi genere præſtantibus aures adhibueris, atque ipſe, quæ ſcribis, & revolvas tecum, & recites, ut ſi quid aſperi, vel nimium remiſſi offenderis, flectere ad ſuavitatem, & gravitatem valeas. I. *de Orat. cap.* XXXIII.

De Imitatione.

CAP. VI.

I*Mitatio eſt qua impellimur cum diligenti ratione, ut aliquorum ſimiles in dicendo velimus eſſe. I. ad Heren.* II. Tantum hæc affert ad eloquentiam momenti, ut hoc Antonius apud Ciceronem velit eſſe primum in præceptis, ut de-

demonſtremus, quem imitari hujus artis ſtudioſi debeant; atque ita, ut quæ maxime excellant in eo, quem imitabuntur, ea diligentiſſime perſequantur.

Unum autem Ciceronem dicendi magiſtrum ſequamini, nec alium vobis ad imitandum propoſitum eſſe cenſeatis oportet. Nam ipſum ſi auditis, nulla eſt ullo in genere laus oratoris, cujus in ſuis orationibus non ſit aliqua, ſi non perfectio, at conatus tamen, atque adumbratio: Non aſſequitur, at quid deceat videt. Quamquam vero id ipſum multum eſt, ac tantum, ut ſatis eſſe poſſet ad hunc nobis ducem præficiendum in eloquentiæ ſtudio; æquius tamen de Ciceronis præſtantia proferre judicium ex Quintiliano poterimus, qui propius ejuſdem Tullii laudes attingere, & deguſtare potuit. Sed ne infinitus prope ſim, vix pauca ex cap. 1. lib. X. ſubjiciam.

„ Nam mihi videtur M. Tullius, quum ſe totum ad imitationem Græcorum contuliſſet, „ effinxiſſe vim Demoſthenis, copiam Platonis, „ jucunditatem Iſocratis. Nec vero, quod in „ quoque optimum fuit, ſtudio conſecutus eſt „ tantum, ſed plurimas, vel potius omnes ex „ ſe ipſo virtutes extulit immortalis ingenii „ beatiſſima ubertate. Non enim pluvias (ut ait „ Pindarus) aquas colligit, ſed vivo gurgite „ exundat, dono quodam providentiæ genitus, „ in quo totas vires ſuas eloquentia experire„ tur. Nam quis docere diligentius, movere „ vehementius poteſt? Cui tanta umquam ju„ cunditas affuit? ut ipſa illa, quæ extorquet, „ impetrare eum credas: & quum tranſverſum

„ vi

„ vi ſua judicem ferat, tamen ille non rapi videatur, ſed ſequi. Jam in omnibus, quæ dicit, tanta auctoritas ineſt, ut diſſentire pudeat: nec advocati ſtudium, ſed teſtis, aut judicis afferat fidem. Quum interim hæc omnia, quæ vix ſingula quiſquam intentiſſima cura conſequi poſſet, fluunt illaborata: & illa, qua nihil pulchrius auditu eſt, præ ſe fert tamen feliciſſimam facilitatem. Quare non immerito ab hominibus ætatis ſuæ regnare in judiciis dictus eſt; apud poſteros vero id conſecutus, ut Cicero jam non hominis, ſed eloquentiæ nomen habeatur. Hunc igitur ſpectemus; hoc propoſitum nobis ſit exemplum. Ille ſe profeciſſe ſciat, cui Cicero valde placebit. „

Conaminor igitur, quem delegiſtis, effingere imitando, atque ita exprimere, ut ejus nitorem, vim, copiam, virtutes omnes oratione veſtra repræſentetis. Nullus certe labor in hac imitatione fructu carebit.

Sed quæ tandem imitandi ratio ſuaderi adoleſcentibus poteſt? Non diſcedam a Præceptore noſtro, qui Antonium inducit, poſt improbatam aliorum imitandi rationem, hunc ſane utiliorem modum his verbis proponentem. *Poſtea mihi placuit, eoque ſum uſus adoleſcens, ut ſummorum oratorum Græcas orationes explicarem: quibus lectis hoc aſſequebar, ut quum ea, quæ legerem Græce, Latine redderem, non ſolum optimis verbis uterer, & tamen uſitatis, ſed etiam exprimerem quædam verba imitando, quæ nova noſtris eſſent, dummodo eſſent idonea.* lib. I. de Orat. xxxiv. Video hæc minime adoleſcentibus no-

noſtri temporis proponi poſſe, neque in iis hanc fieri facultatem nova cudendi verba ex aliis linguis in Latinam adſciſcenda. Sed habita ratione diverſarum linguarum, quod genus imitationis poteſt eſſe utilius? Nam ſi Ciceronis primum orationes diligentiſſime in vernaculam verteritis, atque hinc rurſum pleni Ciceronis elegantia, vi, copia poſt aliquot dies hujus exercitationis veſtro marte latine reddideritis; quam erit id vobis proficuum? Quid, ſi quæ vos latina feciſtis, rurſum conferetis cum Cicerone; examinabitis, quid, & quantum interſit; veſtraque, tam claro exemplari propoſito, emendabitis, & quæ cogitate hac ratione ſcribetis, ac rurſum ad limam revocabitis, in mente defigetis? quot vobis hinc ſuppetent eloquentiæ adjumenta?

Hæc ut auctoritate viri Ciceronis imitatione vel in ipſa florenti ætate præſtantiſſimi, ac celeberrimi, M. Antonii Majoragii commendata profundius hæreant inſculpta mentibus veſtris, ejuſdemque exemplo confirmata ſint vobis certiſſima; ipſum audite in commentariis lib. I. de Oratore totum hoc genus imitationis breviter, ac dilucide ita explicantem. „ Prodeſt etiam „ mirifice Ciceronis orationes, aut epiſtolas in „ vernaculum ſermonem transferre; deinde iterum amoto Cicerone in Latinum convertere: „ poſtea vero conferre cum ipſo Cicerone con- „ verſionem noſtram: quam quidem exercitatio- „ nem nos re ipſa multum prodeſſe experti ſu- „ mus. „ Hoc vos genus imitationis inite, neque aliorum indigebitis teſtimonio, ut ejuſdem fructum uberrimum cognoſcatis. Hoc enim fiet,

ut

ut veſtras prope aliorum opes faciatis, ut non aliena quidem ſurripiatis, ſed jam vos locupletati incredibili quadam copia dicendi, hac omnia tractetis, & veſtiatis, & amplificetis..

De Inventione Argumentorum.

CAP. VII.

QUum primum oratoris munus ſit invenire, quæret in primis argumenta, ſive rationes, quibus fidem faciat eis, quibus volet perſuadere, & quemadmodum motum eorum animis afferat.

Argumentum eſt probabile inventum ad faciendam fidem: ſeu ratio, quæ rei dubiæ faciat fidem. Quum autem argumenta ex locis deſumantur, & ex illis alii ſint inſiti, ſive hæreant in ipſa re, & alii ſint remoti, a re ſcilicet disjuncti, & extrinſecus aſſumpti; illud conſequitur, ipſa etiam argumenta vel inſitâ dici oportere, vel remota, pro locorum diſtinctione, ex quibus ducuntur. *Top. & Part. cap.* II.

Ut apta inveniamus argumenta, quibus aliquid probemus illud ipſum cognoſcere vel in primis eſt neceſſe, ad quod confirmandum argumenta inducuntur. Id eſt, quod ſtatum vocamus, ſive conſtitutionem. Is autem ſtatus ultima demum eſt determinatio quæſtionis oratoriæ, de qua jam egimus ſupra, & naſcitur ex prima conflictione cauſſarum, & depulſione intentionis. Contendit accuſator, Inſidias Clodio feciſſe Milonem: depellit crimen Cicero, & probat non feciſſe.

Na-

Naſcitur hinc quæſtio: An Milo fecerit inſidias Clodio.

Quum autem in omni controverſia quæri ſoleat, an quidquam ſit, aut quid ſit, aut quale ſit; hinc omnes quæſtiones, ſeu quæſtionum ſtatus, in quibus cauſſæ inſiſtunt, tripartiti ſunt. Quum de facto eſt controverſia, & quæritur an ſit, ſtatus dicitur conjecturalis: an Roſcius Patrem occiderit; vel: Sitne in humano genere ſapientia. Dum autem, quid res ſit, quæritur, quia tum vis eſt vocabuli definienda verbis, ſtatus definitivus vocatur: ut quum quæritur, Sitne civis Romanus Archias: vel: Quis vere dives habendus ſit. Tertius autem ſtatus, in quo quæritur, quale ſit, vel qualitatis dicitur, vel rationis, vel conſecutionis. quæritur enim, quod ratione decernendum eſt, quod juris, & injuriæ diſtinctione explicatur, quod quamque rem ſequitur: an jure ſororem occiderit Horatius victoriam populi R. fletu importuno funeſtantem. vel: an cadat in ſapientem ægritudo.

Ex his plane conſtat, non ſolum in cauſſis judicialibus, verum etiam in deliberationibus, & laudationibus eoſdem ſtatus exiſtere. Nam, & negantur ſæpe ea futura, quæ ab aliquo in ſententia dicta ſunt fore, ſi aut omnino fieri non poſſunt, aut ſine ſumma difficultate non poſſunt, in quo ſtatus conjecturalis exiſtit. Ita quum aliquid de utilitate, honeſtate, æquitate differitur; deque iis rebus, quæ illis ſunt contrariæ; incurrunt ſtatus aut juris, aut nominis; qualitatis nimirum, & conſecutionis, vel definitionis: quod idem contingit in laudationibus. Nam aut negari poteſt id factum eſſe, quod lau-

laudetur: aut non eo nomine afficiendum, quo laudator affecerit: aut omnino non eſſe laudabile, quod non recte, non jure factum ſit.

Atque ut hæc ipſa clarius perſpiciatis, triplicem ſtatum in alia rurſum genera docte, diligenterque diviſum recognoſcite; ſinguliſque partitionum membris exemplum aliquod accommodatum perpendite a judiciis, & foro vel remotum*, vel minime profectum.

Conjecturalis itaque ſtatus in quatuor genera diſpertitur. nam in hoc ipſo aut quid ſit quæritur, hoc modo: Naturane ſit jus inter homines, an opinionibus. aut, quæ ſit origo cujuſque rei: ut quod ſit initium legum, aut rerum publicarum. aut cauſſa, & ratio: ut ſi quæratur, cur doctiſſimi homines de maximis rebus diſſentiant. aut de immutatione: ut ſi diſputetur, num interire virtus in homine, aut num in vitium poſſit converti.

Ad definitionis ſtatum referuntur diſceptationes illæ, quibus aut quæritur, quid in communi mente quaſi impreſſum ſit: ut, ſi differatur, idne ſit jus, quod maximæ parti ſit utile. aut quum quid cujuſque ſit proprium, exquiritur: ut ornate dicere propriumne ſit oratoris, an id etiam aliquis præterea poſſit. aut quum res diſtribuitur in partes: ut ſi quæratur, quot ſint genera rerum expetendarum; aut ſintne tria, corporis, animi, externarumque rerum. aut quum, quæ forma, & quaſi naturalis nota cujuſque ſit, exquiri: uti ſi quæratur avari ſpecies, ſeditioſi, glorioſi.

Conſecutionis autem, ſeu qualitatis duo prima quæſtionum genera ponuntur. nam aut ſimplex

plex eſt diſceptatio: ut ſi diſſeratur, Expetendane ſit gloria: aut ex comparatione. Laus, an divitiæ magis expetendæ ſint. Simplicium vero ſunt tres modi. de expetendis, fugiendiſque rebus: ut Expetendine honores ſint: num fugienda paupertas. de æquo, aut iniquo. æquumne ſit ulciſci injurias etiam propinquorum, de honeſto, aut turpi: ut hoc. Sitne honeſtum gloriæ cauſſa mortem obire. Comparationis autem duo ſunt modi, unus quum idemne ſit, an aliquid interſit quæritur: ut metuere, & vereri: ut rex, & tyrannus: ut aſſentator, & amicus. aliud, quum quid præſtet aliud alii quæritur: ut illud, Optimine cujuſque ſapientes, an populari laude ducantur.

Atque eæ quidem diſceptationes, quæ ad cognitionem referuntur, ſic fere a doctiſſimis hominibus deſcribuntur. Quæ vero referuntur ad agendum, aut in officii diſceptatione verſantur, quo in genere, quid rectum, faciendumque ſit quæritur; cui loco omnis virtutum, & vitiorum eſt ſilva ſubjecta: aut in animorum aliqua permotione aut gignenda, aut ſedanda, tollendave tractantur. huic generi ſubjectæ ſunt cohortationes, objurgationes, conſolationes, miſerationes, omniſque ad omnem animi motum, & impulſio, & ſi res feret mitigatio.

Explicatis generibus, ac modis diſputationum omnium, videndum eſt deinceps, qui ad quemque ſtatum loci ſint accommodati. Omnes quidem illi, quos in prima parte vidimus, ad pleraſque ſunt quæſtiones idonei, ſed alii ad alias aptiores. Ad conjecturam igitur maxime apta, quæ ex cauſſis, quæ ex effectis, quæ ex adjun-

ctis

ctis ſumi poſſunt. Ad definitionem autem pertinet ratio, & ſcientia definiendi. hinc notio explicanda eſt, & proprietas, & diviſio, & partitio. Hæc enim ſunt definitioni attributa. additur etiam deſcriptio. atque in hujus generis quæſtiones ſæpe convenient conſequentes, antecedentes, repugnantes. Ad tertium genus quæſtionis, in quo, quale ſit, quæritur, eadem fere revocabis, quæ ad definitionem pertinent: quum enim agitur de expetendo, fugiendoque; itemque quum de honeſto, turpique quæritur, omnis eſt oratio dirigenda tum ad animi bona, vel mala: tum ad corporis externa ſive commoda, ſive incommoda. Quum autem de æquo, & iniquo diſſeritur, tum naturæ ipſius, atque inſtituti pernoſcenda eſt ratio. Natura duas habet partes tuitionem ſui, & jus depellendi omnem injuriam. Inſtitutio æquitatis tripartita eſt: una pars legitima eſt, altera conveniens, tertia moris vetuſtate confirmata.

Vide Top. cap. XXI. II., *&* III. *Part.* IX. I. *de Invent. c.* VIII. III. *de Orat.* XXIX. *&* XXX.

DE ARGUMENTATIONIBUS ORATORIIS.

Quid, & quotuplex ſit argumentatio.

CAP. VIII.

Poſtquam vidimus, unde inveniantur argumenta, quæ ad fidem faciendam pertinent;

 nunc

nunc qua ratione ſingula in dicendo tractentur videndum eſt. Itaque de argumentatione agendum.

Argumentatio eſt explicatio argumenti; non tamen qualiſcunque, ſed artificioſa, & in certas partes diſtributa, atque ad vim in argumento latentem expromendam comparata. Dici etiam poſſe argumentatio videtur inventum ex aliquo genere, rem aliquam aut probabiliter oſtendens, aut neceſſarie demonſtrans. Nam licet argumentum, ex quo conficitur argumentatio, ex rebus probabilibus, ſeu veriſimilibus, quæ ſolent fere in diſceptationem oratoriam venire, probabile inventum definiatur a Tullio; tamen uti notavimus, & alio loco idem docet, ratio generatim vocatur; & minime dubium, quin ad illud ipſe Tullius non ſolum probabilia, verum etiam certa traducat, quum ejuſdem ſit nuper allata argumentationis deſcriptio, ac tum in libris de Inventione, tum in Partitionibus duplicem hanc rationem argumentorum oratori tribuat, & exemplis demonſtret.

Certa ſunt, ſeu neceſſaria, quæ aliter ac dicuntur, nec fieri, nec probari poſſunt, hoc modo: Si ſol lucet, dies eſt. Plura occurrunt hujuſmodi, imo pleraque, in Moralibus, atque in iis, quæ ad Religionem pertinent: nec aliis fere utuntur rationibus ſacri oratores, qui divina ſuadent inſtituta.

Probabile id eſt, quod fere fieri ſolet, aut quod in opinione poſitum eſt, aut quod habet in ſe ad hæc quamdam ſimilitudinem. In eo genere, quod fere ſolet fieri, probabile hujuſmodi eſt: Si mater eſt, diligit filium: Si avarus

eſt,

eſt, negligit fidem. Ex hominum opinione ſunt illa probabilia: Paupertatem fugiendam eſſe: Dolorem eſſe malum: Divitias appetendas. Ex ſimilitudine fit aliquid probabile ſic: Nam ut locus ſine portu navibus eſſe non poteſt tutus: ſic animus ſine fide ſtabilis amicis non poteſt eſſe.

Ex omnibus locis inveniri argumentatio poterit; ſed inventam exornari, certaſque in partes diſtingui & ſuaviſſimum eſt, & ſumme neceſſarium. Quare de ea præceptione nobis in hoc loco dicendum eſt, ut ad inventionem argumenti abſolutio argumentandi adjungatur: Qua in re magnam curam, atq. diligentiam ſe impendiſſe Tullius affirmat, quod non ſolum rei magna utilitas ſit, ſed præcipiendi quoque ſumma difficultas.

Omnis igitur argumentatio, aut per inductionem tractanda eſt, aut per ratiocinationem. Ad alterutram vero iſtarum ceteræ omnes referuntur: exemplum quidem ad inductionem; entymema, complexio, ſive dilemma, enumeratio, ſimplex concluſio, ad ratiocinationem. Egimus de Inductione, tum etiam de exemplo ſatis fuſe in locis lib. III. cap. VIII. & IX. Verum & illa jam vidiſſe proderit, & ea quæ modo tradimus, non erunt ſupervacanea.

De Inductione, & Exemplo.

CAP. IX.

Inductio eſt oratio, quæ rebus non dubiis captat aſſenſionem ejus, quicum inſtituta eſt:

quibus aſſenſionibus facit, ut illi dubia quædam res propter ſimilitudinem earum rerum, quibus aſſenſit, probetur.

Hoc in genere præcipiendum videtur, primum, ut illud, quod inducemus per ſimilitudinem, ejuſmodi ſit, ut ſit neceſſe concedi. Deinde illud, cujus confirmandi cauſſa fiet inductio, videndum eſt, ut ſimile iis rebus ſit, quas res quaſi non dubias ante induxerimus. nam ante aliquid nobis conceſſum eſſe nihil proderit, ſi ei diſſimile erit id, cujus cauſſa illud concedi voluerimus. Alia præcipiuntur hac de inductione: ſed quum Socraticæ conſuetudini rem agendi in congreſſu per poſtulata, & reſponſa ſint accommodata, ad noſtrum inſtitutum minime pertinent. Ex uſu noſtro illud ſtatuemus, tripartitum eſſe hoc genus argumentandi. Prima pars ex ſimilitudine conſtat una, pluribuſve; altera ex eo, quod concedi volumus, cujus cauſſa ſimilitudines adhibitæ ſunt: tertia ex concluſione, quæ quid inde conficiatur, & concedendum ſit, oſtendit.

Ut autem conſtet, non ſolum in ſermone, verum etiam in dicendo hanc argumentationem locum habere: ſumamus exemplum e cauſſa, quæ fuit apud Græcos pervagata: quod Epaminondas Thebanorum imperator ei, qui ſibi ex lege Prætor ſucceſſerat, exercitum non tradidit, & quum paucos ipſe dies contra legem exercitum tenuiſſet, Lacedæmonios funditus vicit; poterat accuſator argumentatione uti per inductionem, ſcriptum legis contra factum defendens, ad hunc modum:

Si, judices, id, quod Epaminondas ait legis ſcri-

ſcriptorem ſenſiſſe, adſcribat ad legem; & addat exceptionem hanc: EXTRA QVAM SI QUIS REIPUBLICAE CAVSSA EXERCITVM NON TRADIDERIT, *patiemini? non opinor. Quod ſi voſmetipſi, quod a veſtra religione, & ſapientia remotiſſimum eſt, iſtius honoris cauſſa hanc eamdem exceptionem injuſſu populi ad legem adſcribi jubeatis, populus Thebanus id patieturne fieri? profecto non patietur. Quod ergo adſcribi ad legem nefas eſt, id ſequi, quaſi adſcriptum ſit, rectumne vobis videatur? Novi veſtram intelligentiam; non poteſt ita videri, judices. Quod ſi litteris corrigi neque ab illo, neque a vobis ſcriptoris voluntas poteſt; videte, ne multo indignius ſit, id re, & judicio veſtro mutari, quod ne verbo quidem commutari poteſt.*

Idem Cicero, cujus hæc ſunt, pro Ligario utitur ſequenti inductione. *Quod nos domi petimus precibus, & lacrymis proſtrati ad pedes, non tam noſtræ cauſſæ fidentes, quam hujus humanitati, id ne impetremus pugnabis? .... Si quum hoc domi faceremus, quod & fecimus, &, ut ſpero, non fruſtra fecimus, tu derepente irrupiſſes, & clamare cœpiſſes; C. Cæſar, cave credas, cave ignoſcas, cave te fratrum pro fratris ſalute obſecrantium miſereat: nonne omnem humanitatem exuiſſes? Quanto hoc durius, quod nos domi petimus, a te in foro oppugnari; & in tali miſeria multorum perfugium miſericordiæ tollere?*

Jam vero ſi extra civile cauſſarum genus lubeat traducere hanc argumentandi rationem, ut ſimul rem confirmet, atque illuſtret; huc pleraque revocare poteſtis, quæ in Locis allata fue-

runt, inductionum exempla. Unum tamen ornatiſſimum placet hic ſubjicere, quo demonſtrat Cicero, plures excellentes oratores in ſumma varietate dicendi magnam laudem promeritos eſſe. Sic diſputat lib. III. de Orat. cap. VII.

Natura nulla eſt, ut mihi videtur, quæ non habeat in ſuo genere res complures diſſimiles inter ſe, quæ tamen conſimili laude dignentur. Nam & auribus multa percipimus, quæ etſi nos vocibus delectant, tamen ita ſunt varia ſæpe, ut id, quod proximum audias, jucundiſſimum eſſe videatur: & oculis colliguntur pene innumerabiles voluptates, quæ nos ita capiunt, ut unum ſenſum diſſimili genere delectent, & reliquos ſenſus voluptates delectent diſpares, ut ſit difficile judicium excellentis maxime ſuavitatis.

At hoc idem, quod eſt in naturis rerum, transferri poteſt etiam ad artes. Una fingendi eſt ars, in qua præſtantes fuerunt Myro, Polycletus, Lyſippus, qui omnes inter ſe diſſimiles fuerunt, ſed ita tamen, ut neminem ſui velis eſſe diſſimilem. Una eſt ars ratioque picturæ; diſſimillimi tamen inter ſe Zeuxis, Aglaophon, Apelles; neque eorum quiſquam eſt, cui quidquam in arte ſua deeſſe videatur. Et ſi hoc in his quaſi mutis artibus eſt mirandum, & tamen verum: quanto admirabilius in oratione, atque in lingua? quæ quum in iiſdem ſententiis, verbiſque verſetur, ſummas habet diſſimilitudines; non ſic, ut alii vituperandi ſint, ſed ut ii, quos conſtat eſſe laudandos, in diſpari tamen genere laudentur. Atque id primum in poetis cerni licet, quibus eſt proxima cognatio cum oratoribus, quam ſint inter ſe ſe Ennius, Pacuvius,

vius, Acciuſque diſſimiles: quam apud Græcos Æſchylus, Sophocles, Euripides, quamquam omnibus par pene laus in diſſimili dicendi genere tribuatur.

Adſpicite nunc eos homines, atque intuemini, quorum de facultate quærimus, quid interſit inter oratorum ſtudia, atque naturas. Suavitatem Iſocrates, ſubtilitatem Lyſias, acumen Hyperides, ſonitum Æſchynes, vim Demoſthenes habuit. quis eorum non egregius? tamen quis cujuſquam niſi ſui ſimilis? Gravitatem Africanus, lenitatem Lælius, aſperitatem Galba, profluens quiddam habuit Carbo, & canorum. quis horum non princeps temporibus illis fuit? & ſuo tamen quiſque in genere princeps. -- Pergit deinde ad eos qui tum vivebant; ſed hæc ſufficiant de hoc genere inductionis.

Hunc diximus referenda eſſe etiam exempla, & quidem jure. nam inductio in comparabilibus verſatur; & exemplum eſt in eodem genere. Definitiones exemplorum tradidimus, ubi eas Loci poſtulabant: nunc ſatis erit exemplis accommodare, quæ diximus de inductione ſimilitudinum. Neque id erit difficile. Quoties enim ex alterius ſive facto, ſive caſu, exemplo nimirum (nam idem hæc omnia ſignificant, & omnibus ſunt notiſſima) argumentamur, atque hinc oſtendimus, quid alium facere oporteat, vel minime deceat, toties hac utimur argumentandi ratione, per exemplum nimirum. ſi plura in eamdem rem adducas, tum erit exemplorum inductio: etſi vere etiam in unico exemplo inductio haberi poſſit, quemadmodum in unica ſimilitudine.

Hæc ad ſuadendum tantum valent, ut plus illa momenti habere vulgo videantur, quam alia argumenta. Nam quod exemplo fit, id etiam jure fieri putant. Verum ut hujuſmodi ſint exempla, debent eſſe ſumma diligentia ex auctoribus omni fide digniſſimis deſumpta. Hæc inter valere plurimum illa cenſentur, quæ ex veterum memoria, & monumentis, & litteris delecta ſunt, plena dignitatis, & auctoritatis. Verum probantur etiam ſæpe, & habentur pergrata, quæ ſunt recentia, ac præſertim ex Patria, vel majoribus quæſita. Horum copiam exemplorum in promptu oratores habere; atque in hoc genere maxime meditati debent eſſe.

His abundat maxime Cicero, ita vero, ut numquam afferat non aptiſſima. In id nos quoq. incumbere debemus, ut nihil adducamus, quod repudietur ab auditoribus. Ut aliqua hic etiam ſubjiciamus: exemplo probat Archiam ab aliquo Imperatore potuiſſe Civitate Romana donari. *Quid? Noſter hic magnus* (Pompejus) *qui cum virtute fortunam adæquavit, nonne Theophanem Mitylenæum ſcriptorem rerum ſuarum in concione militum civitate donavit? & noſtri illi fortes viri, ſed ruſtici, ac milites, dulcedine quadam gloriæ commoti, quaſi participes ejuſdem laudis, magno illud clamore approbaverunt? Itaque, credo, ſi civis Romanus Archias legibus non eſſet, ut ab aliquo imperatore civitate donaretur, perficere non potuit.* Sæpius tamen Tullius utitur plurium inductione. ita pro Sextio ſibi mortem timendam non fuiſſe confirmat exemplis.

Denique quum omnia ſemper ad dignitatem retuliſſem, nec ſine ea quidquam expetendum eſſe

ho-

homini in vita putaſſem; mortem, quam etiam virgines Athenis, regis, opinor, Erechtei filiæ pro patria contempſiſſe dicuntur, ego vir conſularis, tantis rebus geſtis timerem? præſertim, quum ejus eſſem civitatis, ex qua Q. Mutius ſolus in caſtra Porſenæ veniſſet; eumque interficere, propoſita ſibi morte, conatus eſſet? ex qua P. Decius primum pater, poſt aliquot annos patria virtute præditus filius ſe, ac vitam ſuam inſtructa acie pro ſalute populi Romani victoriaque devoviſſet? ex qua innumerabiles alii partim adipiſcendæ laudis, partim vitandæ turpitudinis cauſſa, mortem in variis bellis æquiſſimis animis oppetiſſent? in qua civitate ipſe meminiſſem, patrem hujus M. Craſſi, fortiſſimum virum, ne videret victorem vivus inimicum, eadem ſibi manu vitam exhauſiſſe, qua mortem ſæpe hoſtibus obtuliſſet.

Non eadem ſemper ratione adhibentur exempla, neque ejuſdem ſunt generis omnia, ſed quum ad comparationem & ipſa pertineant, variam habent in contentione vim. Sunt aliquando ſimilia, & ex pari ratione aliquid concludunt; ut in Catil. I. *Etenim ſi ſummi viri, & clariſſimi cives Saturnini, & Gracchorum, & Flacci, & ſuperiorum complurium ſanguine, non modo ſe non contaminarunt, ſed etiam honeſtarunt; certe verendum mihi non erat, nequid, hoc parricida civium interfecto, invidiæ mihi in poſteritatem redundaret.* Idem pro Lege Manilia, ut rejiciat Q. Catuli auctoritatem, illud opponentis, non omnia Pompejo contra exempla, atque inſtituta majorum eſſe tribuenda, ita diſſerit. ***Non dicam, duo bella maxima,***

Pu-

Punicum, & Hiſpanienſe ab eodem imperatore eſſe confecta: duas urbes potentiſſimas, quæ huic imperio maxime minabantur, Carthaginem, atque Numantiam ab eodem Scipione eſſe deletas: non commemorabo nuper ita vobis, patribuſq. veſtris eſſe viſum, ut in uno C. Mario ſpes imperii poneretur: ut idem cum Jugurta, idem cum Cimbris, idem cum Theutonis bellum adminiſtraret. In ipſo Cn. Pompejo, in quo novi conſtitui nihil vult Q. Catulus, quam multa ſint nova, ſummaque Catuli voluntate conſtituta, recordamini.

In diſſimili ratione ſunt illa in Cat. IV. *Quare, Patres conſcripti, incumbite ad reip. ſalutem: circumſpicite omnes procellas, quæ impendent, niſi providetis; non Ti. Gracchus, qui iterum tribunus plebis fieri voluit: non C. Graccus, qui agrarios concitare conatus eſt: non L. Saturninus, qui C. Memmium occidit, in diſcrimen aliquod, atque in veſtræ ſeveritatis judicium adducitur. Tenentur ii, qui ad urbis incendium, ad veſtrum omnium cædem, ad Catilinam accipiendum Romæ reſtiterunt.*

Etiam ex contrariis quandoque ducuntur exempla, ut pro Sextio in Clodium, qui Ptolemæum Cypri regem lege ſua publicandum cum regno, & regia gaza edixerat: *Antiochum illum magnum majores noſtri magna belli contentione terra, marique ſuperatum, intra montem Taurum regnare juſſerunt.* etc. Alia inducit hujus generis exempla, quibus confirmat conſuetudinem Romanorum vel ipſis inimicis regibus regnum condonandi, ut Clodii ſcelus exaggeret, qui Cyprium regem ſemper ſocium, & amicum, re-

gno,

gno, & fortunis omnibus ſpoliaverat. Id ſufficiat hac ratione indicaſſe; ut liceat hoc genus argumentationis oratoriæ concludere loco uno Ciceronis ex eadem Orat. pro Sextio, quo nihil credo poſſe ornatius, aut copioſius inveniri.

Quod ſi apud Athenienſes, homines Græcos, longe noſtrorum hominum gravitate diſiunctos, non deerant, qui rempublicam contra populi temeritatem defenderent; quum omnes, qui ita fecerant, civitate ejicerentur. Si Themiſtoclem illum conſervatorem patriæ non deterruit a republica defendenda, nec Miltiadis calamitas, qui illam civitatem paullo ante ſervarat, nec Ariſtidis fuga, qui unus omnium juſtiſſimus fuiſſe traditur: ſi poſtea ſummi ejuſdem civitatis viri, quos nominatim appellari non eſt neceſſe, propoſitis tot exemplis iracundiæ, levitatiſque popularis, tamen ſuam rempublicam illam defenderunt; quid nos tandem facere debemus, primum in ea civitate nati, unde orta mihi gravitas, & magnitudo animi videtur; tum in tanta gloria inſiſtentes, ut omnia humana leviora videri debeant? deinde ad eam rempublicam tuendam aggreſſi, quæ tanta dignitate eſt, ut eam defendentem occidere non aliud ſit, quam oppugnantem rerum potiri?

Homines Græci, quos antea nominavi, inique a ſuis civibus damnati, atque expulſi, tamen quia bene ſunt de ſuis civitatibus meriti, tanta hodie gloria ſunt, non in Græcia ſolum, ſed etiam apud nos, atque in ceteris terris, ut eos, a quibus illi oppreſſi ſunt, nemo nominet; horum calamitatem dominationi illorum omnes anteponant. Quis Carthaginenſium pluris fuit Hannibale,

bale, conſilio, virtute, rebus geſtis: qui unus cum tot imperatoribus noſtris per tot annos de imperio, & de gloria decertavit? Hunc ſui cives e civitate ejecerunt: nos etiam hoſtem litteris noſtris, & memoria videmus eſſe celebratum.

Quare imitemur noſtros Brutos, Camillos, Ahalas, Decios, Curios, Fabricios, Maximos, Scipiones, Lentulos, Æmilios, innumerabiles alios, qui hanc rempublicam ſtabiliverunt: quos equidem in Deorum immortalium cœtu, ac numero repono. amemus patriam: pareamus ſenatui: conſulamus bonis: præſentes fructus negligamus: poſteritatis gloriæ ſerviamus: id eſſe optimum putemus, quod erit rectiſſimum: ſperemus, quæ volumus; ſed, quod acciderit, feramus: cogitemus denique corpus virorum fortium, magnorumque hominum eſſe mortale, animi vero motus, & virtutis gloriam ſempiternam.

De Ratiocinatione.

CAP. X.

ARgumentatio, quam ex Græco vocabulo *Syllogiſmum* nominamus, Latinis eſt ratiocinatio: nos Latino potius nomine, quam Græco utemur.

Ratiocinatio eſt oratio ex ipſa re probabile aliquid eliciens, quod expoſitum, & per ſe cognitum, ſua ſe vi, & ratione confirmet. etſi vero hæc argumentatio non ſemper eiſdem partibus conſtat, uti deinceps videbimus; tamen vis ejus tota, quæ ex quodam nexu propoſitionum emergit,

git, tribus neceſſario partibus contineri videtur: propoſitione ſcilicet, quæ continet argumentum inventum ad faciendam fidem generatim enunciatum: aſſumptione, quæ rei probandæ accommodat propoſitionem, ſive inventam rationem: & concluſione, ſive complexione, quæ neceſſario conficitur ex utraque. Jam vero conſtabit allata definitio. Nam primum poſtulat ratiocinatio, ut ex ipſa re probabile aliquid eliciamus; quod eſt argumentum: deinde ut hoc ipſum, ex quo vis omnis emanat ratiocinationis, ſit per ſe cognitum, atque ideo hæc prima propoſitio fere ab omni peculiari perſona, & tempore ad univerſum genus traducatur. Tum aſſumptio requiritur; eſt autem, per quam id, quod ex propoſitione volumus probare, aſſumitur: qua propterea, quod probandum eſt, ſua ſe vi confirmat; quoniam quod in univerſo probatum eſt, id ſibi accommodat aſſumptio, idque in parte probari eſt neceſſe. Complexio in quavis argumentatione eſt, per quam id, quod conficitur, breviter exponitur. Hinc ratiocinatio dici etiam poterit cum Georgio Trapezuntio Rhet. lib. III. *argumentatio perfectiſſima, quæ accommodatione aſſumptionis ad id, quod propoſitum eſt, elicit concluſionem*. Hic enim Propoſitum, ſive propoſitionem habetis, ſcilicet argumentum; Aſſumptionem, quæ continet illud, de quo agitur, & ſibi accommodat propoſitionem; tum id, quod conficitur ex tota argumentatione.

Ut id exemplo planius facimus; probandum ſuſcipite: Solum ſapientem dici poſſe in hac vita beatum. Quid ita? Sumite argumentum

ex

ex definitione, ſeu natura ſapientis. Cur igitur ſolus ſapiens in hac vita beatus? Quia ipſe ſolus omni vacat perturbatione, & placidiſſima fruitur animi tranquillitate. En ratio, ſive argumentum. Id modo eximite ab omni peculiari cognitione, ut non in ſapiente illud demonſtretis, ſed in genere ipſo. Ponite: Ille ſolus dici poteſt in hac vita beatus, qui omni vacat perturbatione, & placidiſſima fruitur animi tranquillitate. erit hæc propoſitio. Hanc modo ſapienti accommodate hoc pacto. Atqui ſolus ſapiens omni vacat perturbatione, & placidiſſima fruitur animi tranquillitate. Jam habetis aſſumptionem. Ita vero nexæ inter ſe ſunt iſtæ partes, ut tertia ex iis, nempe concluſio, neceſſario conſequatur. Ergo ſolus ſapiens dici poteſt in hac vita beatus. Semper enim redit in concluſionem, quod probandum aſſumpſimus.

Intelligitis ratiocinationem iis partibus conſtare, quæ Dialecticis ſunt *Major*, *minor*, & *conſequentia*, ſeu *conſequens*. Sed hiſce nominibus eorum uſui relictis, nos utamur Latinis vocibus. Illud etiam vobis conſtabit, aliter Philoſophos noſtros, diſputando, uti argumentationibus, aliter vero oratores. Unde illud pervagatum eſt, quod tradit Cicero in Orat. cap. XXXII.
„ Eſſe igitur perfecte eloquentis puto, non eam
„ ſolum facultatem habere, quæ ſit ejus pro-
„ pria, fuſe, lateque dicendi, ſed etiam vici-
„ nam ejus, atque finitimam dialecticorum ſcien-
„ tiam aſſumere: quamquam aliud videtur ora-
„ tio eſſe, aliud diſputatio; nec idem loqui
„ eſſe, quod dicere: attamen utrumque in diſ-
„ ſerendo eſt. diſputandi ratio, & loquendi

dia-

„ dialecticorum ſit: oratorum autem dicendi, „ & ornandi. Zeno quidem ille, a quo diſci- „ plina Stoicorum eſt, manu demonſtrare ſole- „ bat, quid inter has artes intereſſet. nam quum „ compreſſerat digitos, pugnumque fecerat, „ dialecticam ajebat ejuſmodi eſſe: quum au- „ tem diduxerat, & manum dilataverat, pal- „ mæ illius ſimilem eloquentiam eſſe dice- „ bat.„

Jam vero ut in propoſito id illuſtremus, ſumamus, ad oſtendendum voluptatem non eſſe in bonis ducendam, hanc ratiocinationem ex boni ipſius vera notione, quod eos minime bonos faciat voluptas, in quibus eſt, hoc modo: Illud in bonis haberi non poteſt, quod eum in quo eſt, nec bonum, nec meliorem facit: voluptas nec bonum, nec meliorem facit eum, in quo eſt: ergo voluptas non eſt in bonis habenda. Ita contractiori dicendi ratione dialecticus utetur: at qui dicat uberius, eloquens ita forte differet.

Quidquam bonum eſt, quod non eum, qui id poſſidet meliorem facit? Ut enim quiſque eſt maxime boni particeps, ita & laudabilis maxime: neque eſt ullum bonum, de quo non is, qui id habeat, honeſte poſſit gloriari. Quid hæc niſi propoſitionem illam continent: Illud ſolum eſt bonum, quod eum, in quo eſt, bonum, ſive meliorem facit? Hinc Aſſumptio, quæ id negat voluptati, ſic poterit oratorie tractari. *Quid autem eſt horum in voluptate? Melioremne efficit, aut laudabiliorem virum? An quiſquam in potiundis voluptatibus, gloriando ſe ſe, & prædicatione offert?* Ex his jam licebit concludere.

Quis

Quis igitur eas, quibus plerique hominum aſtricti ſunt, voluptates in bonis rebus, aut expetendis eſſe ducet? Hæc ex Parad. 1. Ubi etiam qua ratione poſſint ſingulæ partes hujus ratiocinationis copioſius amplificari, plane comperies.

Quotuplex ſit Ratiocinatio.

CAP. XI.

QUum non ſemper ſingulæ ratiocinationis partes ſupra explicatæ ita ſint perſpicuæ, ut ſatis conſtent per ſe, ſed quandoque vel propoſitio, vel aſſumptio, vel utraque indigeat approbatione; hinc fit, ut ratiocinatio pro opportunitate vel plures habeat partes, vel minores; ac modo quinque, modo quatuor, modo tribus contineatur. Poterimus igitur illam commode dividere in quinquepartitam, quadripartitam, & tripartitam.

Quinquepartitam vocant abſolutiſſimam nonnulli; atque ita eſt, quum tot partes ratiocinatio poſtulat, propoſitionem nimirum, approbationem propoſitionis, aſſumptionem, approbationem aſſumptionis, & complexionem. Quum igitur hac utendum eſt, primum convenit exponere ſummam argumentationis, ſive propoſitionem, ad hunc modum: *Melius accurantur, quæ conſilio geruntur, quam quæ ſine conſilio adminiſtrantur.* Hanc primam partem numerant. eam deinceps rationibus variis, & quam copioſiſſimis verbis approbari putant oportere, hoc modo: *Domus ea, quæ ratione regitur, omnibus inſtructior eſt rebus, & apparatior,*

quam ea, quæ temere, & nullo conſilio adminiſtratur. Exercitus is, cui præpoſitus eſt ſapiens, & callidus imperator, omnibus partibus commodius regitur, quam is, qui ſtultitia, & temeritate alicujus adminiſtratur. Eadem navigii ratio eſt. nam navis optimè curſum conficit ea, quæ ſcientiſſimo gubernatore utitur.

Quum propoſitio ſit hoc pacto approbata, & duæ partes tranſierint ratiocinationis, tertia in parte, quod oſtendere velis, id ex vi propoſitionis oportet aſſumere, hoc pacto: *Nihil autem omnium rerum melius, quam omnis mundus adminiſtratur*. Hujus aſſumptionis quarto in loco alia inducitur approbatio, hoc modo: *Nam & ſignorum ortus, & obitus definitum quemdam ordinem ſervant, & annuæ commutationes non modo quadam ex neceſſitate ſemper eodem modo fiunt; verum ad utilitates quoque rerum omnium ſunt accommodatæ; & diurnæ nocturnæque viciſſitudines nulla in re umquam mutatæ quidquam nocuerunt. Quæ ſigno ſunt omnia non mediocri quodam conſilio naturam mundi adminiſtrari.*

Quinto loco inducitur ea complexio, quæ aut id infert ſolum, quod ex omnibus partibus cogitur, hoc modo: *Conſilio igitur mundus adminiſtratur:* aut unum in locum quum conduxerit breviter propoſitionem, & aſſumptionem, id adjungit, quod ex his conficiatur, ad hunc modum: *Quod ſi melius geruntur ea, quæ conſilio, quam quæ ſine conſilio adminiſtrantur: nihil autem omnium rerum melius adminiſtratur, quam omnis mundus; conſilio mundus adminiſtretur neceſſe eſt*. Hæc quinquepertita argumentatio.

Sunt tamen, qui putant hanc etiam triparti-

tam vocari oportere; quod negent ſeparari poſſe a propoſitione, & aſſumptione approbationes earum. Verum quin hic tam levem inducamus quæſtionem, & quum de artificio non ambigatur, dubitemus de partitione: quis inficiabitur ſeparari poſſe a propoſitione, & aſſumptione eas approbationes, ſive partes, quas re ipſa, quum oportet, ſeparamus? Si enim in aliqua argumentatione vel propoſitio, vel aſſumptio, vel utraque, ita ſit perſpicua, ut eam conſtare inter omnes neceſſe ſit, hanc ſane velle approbare, & firmare rationibus nihil attinet. Ita omiſſa approbatione propoſitionis quadripartita erit hujuſmodi ratiocinatio. *Si quo die iſta cædes Romæ facta eſt, ego Athenis eo die fui, intereſſe in cæde non potui.* Hoc quia perſpicue verum eſt, nihil attinet approbari. Quare aſſumi ſtatim oportet, hoc modo: *Fui autem Athenis eo die.* Hoc ſi non conſtat, indiget approbationis, qua inducta, complexio conſequetur. *Igitur in cæde intereſſe non potui.*

Simili modo erit quadripartita ratiocinatio rejecta aſſumptionis probatione, uti minime neceſſaria, & comprobata propoſitione, uti minus perſpicua: erit ea hujuſmodi. *Si oportet ſapere, dare operam philoſophiæ convenit.* Hæc propoſitio indiget approbationis. non enim perſpicua eſt, nec conſtat inter omnes; propterea quod multi nihil prodeſſe philoſophiam, plerique etiam obeſſe arbitrantur. Aſſumptio eſt hæc omnibus manifeſta: *Oportet autem ſapere.* Id ab omnibus intelligitur. Quare ſtatim concludenda eſt argumentatio: *Igitur dare operam philoſophiæ convenit.*

Ex

Ex quibus illud jam perſpicuum eſt, eſſe pariter quamdam ratiocinationem, in qua neque propoſitio, neque aſſumptio indigeat approbationis; cujuſmodi hæc eſſet. *Si ſummopere ſapientia petenda eſt, ſummopere ſtultitia vitanda eſt. Summo autem opere ſapientia petenda eſt. Summo igitur opere ſtultitia vitanda eſt.*

Ut igitur ad caput redeamus; quinque omnino ſunt partes ratiocinationis: propoſitio, per quam locus is breviter exponitur, ex quo vis omnis oportet emanet ratiocinationis. Propoſitionis approbatio, per quam id, quod breviter expoſitum eſt, rationibus affirmatum probabilius, & apertius fit. Aſſumptio, per quam id, quod ex propoſitione ad oſtendendum pertinet, aſſumitur. Aſſumptionis approbatio, per quam id, quod aſſumptum eſt, rationibus firmatur. Complexio, per quam id, quod conficitur ex omni argumentatione, breviter exponitur. Alterutra vero, vel utraque dempta approbatione, fit ratiocinatio vel quadripartita, vel tripartita.

Verum ut huc etiam aliquid majori cultu, & ornatu elaboratum traducamus, in memoriam revocate jam propoſitam ſub Inductione Epaminondæ cauſſam; atque ut ibi reprehenſum fuit factum, ita videte, ut idem quinquepertita ratiocinatione defendi poſſit. Propoſitio. *Omnes leges, judices, ad commodum reip. referre oportet, & eas ex utilitate communi, non ex ſcriptione, quæ in litteris eſt, interpretari.* Propoſitionis approbatio. *Ea enim virtute, & ſapientia majores noſtri fuerunt, ut in legibus ſcribendis nihil ſibi aliud, niſi ſalutem, atque uti-*

litatem reip. proponerent. neque enim ipſi, quod obeſſet, ſcribere volebant; &, ſi ſcripſiſſent, quum eſſet intellectum, repudiatum iri legem intelligebant. Nemo enim leges legum cauſſa ſalvas eſſe vult, ſed reipublicæ; quod ex legibus omnes remp. optime putant adminiſtrari. Quam ob rem igitur leges ſervari oportet, ad eam cauſſam ſcripta omnia interpretari convenit. hoc eſt, quoniam reip. ſervimus, ex reip. commodo, atque utilitate leges interpretemur. Nam, ut ex medicina nihil oportet putare proficiſci, niſi quod ad corporis utilitatem ſpectet, quoniam ejus cauſſa eſt inſtituta; ſic a legibus nihil convenit arbitrari, niſi quod reip. conducat, proficiſci, quoniam ejus cauſſa ſunt comparatæ.

Sequitur aſſumptio, qua id, quod generatim dictum eſt de legibus, aſſumitur pro lege, de qua diſputabatur. *Ergo in hoc quoque judicio deſinite litteras legis perſcrutari; & legem, ut æquum eſt, ex utilitate reip. conſiderate.* Hinc deſcendit in hujus aſſumptionis approbationem hoc modo. *Quid enim magis utile Thebanis fuit, quam Lacedæmonios opprimi? Cui rei magis Epaminondam Thebanorum imperatorem, quam victoriæ Thebanorum conſulere decuit? Quid hunc tanta Thebanorum gloria, tam claro, atque exornato trophæo carius, atque antiquius habere convenit? Scripto videlicet legis omiſſo, ſcriptoris ſententiam conſiderare debebat. Adhuc quidem ſatis conſideratum eſt, nullam eſſe legem niſi reip. cauſſa ſcriptam. Summam igitur amentiam eſſe exiſtimabat, quod ſcriptum eſſet reip. ſalutis cauſſa, id non ex reip. ſalute interpretari.* Ex his complexio conficitur, hoc pacto: *Quod ſi le-*

ges

ges omnes ad utilitatem reip. referri convenit; hic autem ſaluti reip. profuit; profecto non poteſt eodem facto, & communibus fortunis conſuluiſſe, & legibus non obtemperaſſe.

Propoſitionis approbatione præterita, quatuor ex partibus argumentatio tractatur ad hunc modum: Propoſitio -- *Judices qui ex lege jurati judicatis, legibus obtemperare debetis.* -- Aſſumptio -- *Obtemperare autem legibus non poteſtis, niſi id, quod ſcriptum eſt in lege, ſequamini.* -- Aſſumptionis approbatio. -- *Quod enim certius legis ſcriptor teſtimonium voluntatis ſuæ relinquere potuit, quam, quod ipſe magna cum cura, atque diligentia ſcripſit? Quod ſi litteræ non exſtarent, magnopere eas requireremus, ut ex his ſcriptoris voluntas cognoſceretur; nec tamen Epaminondæ permitteremus, ne ſi extra judicium quidem eſſet, ut is nobis ſententiam legis interpretaretur, nedum nunc illud patiamur, quum præſto lex ſit, non ex eo, quod apertiſſime ſcriptum eſt, ſed ex eo, quod ſuæ cauſſæ convenit, ſcriptoris voluntatem interpretari.* -- Complexio -- *Quod ſi vos, judices, legibus obtemperare debetis: & id facere non poteſtis, niſi quod ſcriptum eſt in lege, ſequamini; quid cauſſæ eſt, quin iſtum contra legem feciſſe judicetis?*

Aſſumptionis approbatione omiſſa, quadripartita ſic fiet ratiocinatio: Propoſitio -- *Qui ſæpenumero nos per fidem fefellerunt, eorum orationi fidem habere non debemus.* Propoſitionis approbatio -- *Siquid enim perfidia illorum detrimenti acceperimus, nemo erit, præter noſmetipſos, quem jure accuſare poſſimus. Ac primo*

quidem decipi incommodum eſt : iterum ſtultum : tertio turpe . -- Aſſumptio -- *Carthaginenſes autem perſæpe nos feſellerunt* . Complexio. *Summa igitur amentia eſt in eorum fide ſpem habere , quorum perfidia toties deceptus ſis* .

Utraque approbatione relicta erit tripartita ratiocinatio, hoc modo: Prop. *Aut metuamus Carthaginenſes oportet , ſi incolumes eos reliquerimus* ; *aut eorum urbem diruamus* -- Aſſumpt. *Ac metuere quidem non oportet* . Compl. *Reſtat igitur , ut urbem diruamus* .

De Enthymemate .

CAP. XII.

Ratiocinationibus enumeratis , quartam alii putant necti oportere , quam bipartitam vocant , ex duabus ſcilicet partibus conſtantem . Docent id duplici ratione fieri poſſe ; ac primum complexione ſublata . Et complexione quidem aliquando ſuperſedere docent expedire ; quum ſcilicet id , quod ex aliis partibus conſequitur , apertum eſt , & manifeſtum . Vos tamen contra omnem ratiocinationem concludendam eſſe judicate . niſi forte idem pluribus ratiocinationibus ſit confirmandum : quæ ſi breviores ſint , & eodem conſpirent omnes , una poterunt complexione concludi . Sed tum , re melius perſpecta , invenietis unam eſſe ratiocinationem pluribus approbationibus confirmatam , vel plures ratiocinationes eadem complexione concluſas .

Alia

Alia putant ratione fieri bipartitam ratiocinationem, ſi prætereas nimirum vel propoſitionem, vel aſſumptionem; idque tum cenſent licere, quum facile, quæ tollitur, intelligi pars poteſt, & cuique occurrit. Sic qui argumentaretur hoc modo: Sola Dei amicitia nos poteſt vere felices efficere: ſummo igitur ſtudio hæc nobis amicitia concilianda eſt. reticeret quidem propoſitionem; ſed quis eam ad concludendum deſideraret? Eam plane & quiſque intelligit, & certam habet: id nobis eſſe ſummo ſtudio conciliandum, quod nos vere felices efficiat.

Hanc ita mutilam ratiocinationem vocant plures Enthymema; ſed alia penitus ſignificatione hoc nomen uſurpant, ac vere tum apud Græcos, e quibus naſcitur, tum apud Latinos, qui adoptarunt, repræſentet. De notione infra: nunc de bipertita hac argumentatione, quocunque ſit nomine appellanda. Hanc dicendi rationem negat Cicero ratiocinationem dici debere, atque ad argumenta vult potius eſſe referendam, quæ tamen & ipſa dici poſſunt argumentationes, quum aliud infetunt ex alio, vel certo, ut *Cicatrix eſt*; *ergo fuit vulnus*: -- vel probabiliter, ut *Multus erat in calceis pulvis; ergo ex itinere eum venire oportebat*. Verum ſive ratiocinatio dici debeat hoc genus argumenti, ſive argumentum, id quidem noſtra parvi refert: quum alioquin ſæpiſſime ab oratoribus adhibeatur. Sæpe etiam ita vel propoſitioni admiſcetur aſſumptio, vel aſſumptioni propoſitio, ut perficiatur ratiocinatio; ſæpe in complexione ad vim totam colligendam, quæ pars relicta eſt, & ex ſe patet, indicatur.

Jam vero ut ad Enthymema præceptiones revocemus; Enthymemata dicuntur argumenta ex contrariis concluſa; non quod non omnis ſententia proprio nomine Enthymema dicatur: ſed ut Homerus propter excellentiam commune poetarum nomen efficit apud Græcos ſuum: ſic quum omnis ſententia Enthymema dicatur, quia videtur ea, quæ ex contrariis conficiatur, acutiſſima, ſola proprie nomen commune poſſidet. Itaque ſic illud poterimus ex hac Ciceronis doctrina definire.

Enthymema eſt argumentum, ſive argumentatio ex pugnantibus, ſive contrariis concluſa. Ejus affert Tullius exempla breviſſima: *Eam quam nihil accuſas, damnas. -- Bene quam meritam eſſe autumas, dicis male mereri* -- Videtis hinc quam clare ex ipſa contrariorum ratione veritas eluceſcat: & quam hinc facile occurrat integra ratiocinatio, addita propoſitione. *Non eſt æquum damnare, qui nihil accuſetur; Tu nihil illam accuſas; ergo injuſte damnas.* Pari ratione. *Non poteſt idem ſimul de aliquo bene, & male mereri. illam bene meritam eſſe autumas. non igitur potes dicere, male ipſam mereri.* Verum hic etiam repetimus, nolle nos diſputare, num argumentum, an argumentatio dici hoc Enthymema debeat.

Uſus ſane frequentiſſimus horum Enthymematum apud Ciceronem, ac in iis præſertim locis, quæ ſunt maxime ad commovendum, ad inſtandum, ad convincendum inducta, ſatis demonſtrat, quantum in illis ſtudii, & operæ collocare debeamus. Quum autem ad vim ſint fere inſtituta, per vehementiores figuras, ac præſer-

tim

tim per interrogationes ſolent efferri. Exempla non deerunt Ciceronem legenti. Pro Milone plura hujuſmodi leguntur. Sunt illa inſignia: *Quem igitur cum omnium gratia noluit, hunc voluit cum aliquorum querela? quem jure, quem loco, quem tempore, quem impune non eſt auſus; hunc injuria, iniquo loco, alieno tempore, cum periculo capitis non dubitavit occidere?* Pro Dejotaro: *Quod igitur & occultius conari, & efficere cautius potuit; id tibi, & medico callido, & ſervo, ut putabat: fideli, non credidit de armis, de ferro, de inſidiis celare te noluit?* Ibidem: *Qui igitur adoleſcens nondum tanta gloria præditus nihil umquam niſi ſeveriſſime, & graviſſime fecerit; is ea exiſtimatione, eaque ætate ſaltavit?*

Pro Cœlio ſic de Luccejo loquitur. *An ille vir, illa humanitate præditus, illis ſtudiis, artibus, atque doctrina, illius ipſius periculum, quem propter hæc ipſa ſtudia diligebat, negligere potuiſſet? &, quod facinus in alienum hominem illatum ſevere acciperet, id omiſiſſet curare in hoſpite? Quod per ignotos actum quum comperiſſet, deleret; id a ſuis tentatum negligeret? quod in agris, locisve publicis factum reprehenderet, id in urbe, ac ſuæ domi cœptum eſſe leviter ferret? quod in alicujus agreſtis periculo non prætermitteret; id homo eruditus in inſidiis doctiſſimi hominis diſſimulandum putaret?* Pro Sextio. *Cujus igitur mortem ulciſcerimini, ſiquidem liberi eſſe, & habere rempublicam cogitaretis; de ejus virtute vivi quid vos loqui, quid ſentire, quid cogitare, quid judicare oporteat, dubitandum putatis?* deinde. *Ac ſi tunc*

P. *Sex-*

P. Sextius judices in templo Caſtoris animam, quam vix retinuit, edidiſſet; non dubito, quin, ſi modo eſſet in rep. ſenatus, ſi majeſtas populi R. revixiſſet, aliquando ſtatua huic ob remp. interfecto in foro ſtatueretur . . . . Ejus igitur vitam quiſquam ſpoliandam ornamentis eſſe dicet, cujus mortem ornandam monumento ſempiterno putaretis?

Ex his jam perſpicere poteſtis, quantam vim habeant ad ſuadendum Enthymemata; tum illud intelligetis, complexionibus eſſe aptiſſima. Neque dubitabitis, quin ſæpiſſime ex fictione ducantur hujuſmodi argumenta, uti poſtremo exemplo animadvertiſtis, & in aliis ſub capite de Fictione recognoſcere poteſtis. Exempla quoque ad id valent plurimum, uti ex oratione pro lege Manilia, poſt facta peculiaria jam narrata, & ex hoc capite comparata: *Illi* (Majores veſtri) *libertatem civium Romanorum imminutam non tulerunt, vos vitam ereptam negligetis? Jus legationis verbo violatum illi perſecuti ſunt, vos legatum populi R. omni ſupplicio interfectum inultum relinquetis? Videte, ne, ut illis pulcherrimum fuit tantam vobis imperii gloriam relinquere, ſic vobis turpiſſimum ſit, illud, quod acceptiſtis, tueri, & conſervare non poſſe.* Atque ita aliquando etiam ſine interrogatione, aut hujuſmodi figura invenietis Enthymemata: ſic pro Milone concludit: *Ejus igitur mortis ſedetis ultores, cujus vitam ſi putetis per vos reſtitui poſſe, nolitis.*

De

De Complexione, ſeu Dilemmate.

CAP. XIII.

QUod Græco vocabulo dicitur *Dilemma*, id Tullius Latino vocat complexionem, nec alio nos vocabimus nomine.

Complexio eſt, in qua, utrum conceſſeris, reprehenditur, ad hunc modum: *Si improbus eſt, cur uteris? ſin probus, cur accuſas?* Id argumenti quum vehementer urgeat, ac ſi verum ſit, numquam reprehendatur, ſolet ſæpius paucis perſtringi. ipſum enim, tamquam telum, quod evitari vix poſſit, in adverſarium cominus jaculamur. Quod ſi neceſſarias ejus partes velis explorare, tres invenies; propoſitionem, quæ duo continet membra, ſive extrema, ita inter ſe pugnantia, ſive contraria, ut alterutrum concedi ſit neceſſe. Quod ſi extrema non ſint ita inter ſe oppoſita, non modo reprehendetur complexio, verum etiam tamquam ridicula exſibilabitur: ut ſi quiſpiam ita ſuos auditores compellaret. Vel vos, quotquot adeſtis, docti eſtis, vel facinoroſi. Tum enim poterunt plerique utrumque negare. Sequuntur deinde aliæ partes duæ, quarum ſingulæ oſtendunt, utrumvis concedat adverſarius, aliquid contra ipſum pugnare.

Varia tamen ratione, ut licet animadvertere in pluribus Ciceronis exemplis, inducuntur ad hanc vim complexiones. Neque vero ita ſemper ſunt preſſæ, ut aliquando non afferantur & amplificatæ, & ad vim majorem inſtructæ. Eſt illa

Tul-

Tullii in Antonium Phil. II. inſignis, cujus etiam partem aliquam libentius ſubjicio, quod hujus argumentationis vim clarius explicet. Videte quo pacto propoſitionem inſinuet, & compellat Antonium ad alterutram partem ſe recipere. *Numquam ne intelligis ſtatuendum tibi eſſe, utrum illi, qui iſtam rem geſſerunt* (Cæſarem interfecerunt) *homicidæ ſint, an vindices libertatis? Attende enim pauliſper, cogitationemque ſobrii hominis ad punctum temporis ſuſcipe. ego, qui ſum illorum, ut ipſe fateor, familiaris, ut a te arguor, ſocius, nego quidquam eſſe medium: confiteor eos, niſi liberatores populi R. conſervatoreſque reip. ſint, plus quam ſicarios, plus quam homicidas, plus etiam quam parricidas eſſe; ſiquidem eſt atrocius patriæ parentem, quam ſuum occidere. tu homo ſapiens, & conſiderate, quid dicis? ſi parricidæ, cur honoris cauſſa a te ſunt & in hoc ordine, & apud populum R. ſemper appellati?* Pergit enumerare honores, quibus conjurationis auctores affecerat Antonius. hinc ad alteram complexionis partem ita tranſit. *Sequitur, ut liberatores tuo judicio ſint, quandoquidem tertium nihil poteſt eſſe. quid eſt? num conturbo te? non enim fortaſſe ſatis, quæ diſtinctius dicuntur, intelligis. Sed tamen hæc eſt ſumma concluſionis meæ; quoniam ſcelere a te liberati ſunt, ab eodem te ampliſſimis præmiis digniſſimos judicatos.* In hac autem parte, quæ magis pugnabat in Antonium, etiam fuſius immoratur.

Nunc ad breviora tranſeamus.

In eadem Phil. II. *At etiam auſus es (quid autem eſt, quod tu non audeas) Clivum Capitolinum*

num dicere me conſule plenum ſervorum armatorum fuiſſe: ut illa, credo, nefaria S. C. tum fierent, vim afferebam ſenatui. o miſerum, ſive illa tibi nota non ſunt: nihil enim boni noſti: ſive ſunt; qui apud tales viros tam impudenter loquare. Ibi de actis Cæſaris. *Unde iſta erumpunt? quo auctore proferuntur? Si ſunt falſa, cur probantur? ſi vera cur veneunt?* Et Phil. v. *Ad hunc (Dii boni!) legatos mitti placet? .... Legatos decernis? Si ut depreceris, contemnet: ſi ut imperes, non audiet.* Pro Sextio, alia ratione, ſed eadem vi. *Nam ſive illa veſtis mutatio ad luctum ipſorum, ſive ad deprecandum valebat; quis umquam tam crudelis fuit, qui prohiberet, quemquam aut ſibi mœrere, aut ceteris ſupplicare?* Et infra, debuiſſe ſua in calamitate cedere potius civitate, quam dimicare, poſtquam pluribus demonſtravit, ita concludit. *Victi eſſent improbi, at cives; at ab eo privato, qui ſine armis etiam remp. conſul conſervarat. Sin victi eſſent boni, qui ſupereſſent? non ad ſervos videtis rem venturam fuiſſe?*

Si complexio minus erit firma, tum duobus modis reprehendi poteſt, aut converſione, aut alterius partis infirmatione. Sit hæc complexio.

Nam ſi veretur, quid eum accuſes, qui eſt probus?
Sin inverecundum animi ingenium poſſidet,
Quid eum accuſes, qui id parvi auditu exiſtimet?

Hic ſi vereri dixeris, ſive non vereri, concludendum erit, non eſſe accuſandum. Quod converſione ſic reprehendetur. Imo vero accuſandus eſt. Nam ſi veretur, accuſes. non enim

par-

parvi auditu æſtimabit. Sin inverecundum animi ingenium poſſidet, tamen accuſes. non enim probus eſt. Alterius autem partis infirmatione, hoc modo reprehendetur: Verum ſi veretur, accuſatione tua correctus ab errato recedet.

Hiſce complexionibus diluit Cicero crimen objectum Cœlio de auro ſumpto a Clodia, quod L. Luccei ſervis daret, per quos Alexandrinus Dio, qui tum apud Luccejum habitabat, necaretur. Sic pro Cœlio. *Quo quidem in crimine primum illud requiram, dixeritne Clodiæ, quam ad rem aurum tum ſumeret: an non dixerit? Si non dixit, cur dedit? ſi dixit, eodem ſe conſcientiæ ſcelere devinxit*. Inſiſtit hic paullulum. tum inducit Balbum id infirmantem hoc pacto. *Vidit hoc Balbus: celatam eſſe Clodiam dixit, atque ita Cœlium ad illum attuliſſe, ſe ad ornatum ludorum aurum quærere*. Hoc rurſum aliis complexionibus refellit hoc modo. *Si tam familiaris erat Clodiæ, quam tu eſſe vis, quum de libidine ejus tam multa dicis, dixit profecto, quo vellet aurum. Si tam familiaris non erat, non dedit. Ita, ſi verum tibi Cœlius dixit, o immoderata mulier, ſciens tu aurum ad facinus dediſti: ſi non eſt auſus dicere, non dediſti.*

De Enumeratione, ſimplici Concluſione, & Sorite.

CAP. XIV.

E*Numeratio eſt, in qua, pluribus rebus expoſitis, & ceteris infirmatis, una reliqua ne-*

neceſſario confirmatur; Dicitur etiam hæc argumentatio per remotionem cauſſarum. Si enim ad reprehendendum inducitur, removet cauſſas defenſionis, quas primum enumerat, & illam confirmat, quæ reprehenditur: ſi ad defendendum, vel laudandum adhibetur, ſimili ratione progreditur; & rejectis ſive accuſationis, ſive probri cauſſis, illam laudis, ſive defenſionis ſuadet, ſeu laudem ipſam, & defenſionem confirmat, hoc pacto. *Neceſſe eſt aut inimicitiarum cauſſa ab hoc eſſe occiſum, aut metus, aut ſpei, aut alicujus amici gratia; aut ſi horum nihil eſt, ab hoc non eſſe occiſum. nam ſine cauſſa maleficium ſuſceptum eſſe non poteſt. Sed neque inimicitiæ fuerunt, nec metus ullus, nec ſpes ex morte illius alicujus commodi; neque ad amicum hujus aliquem mors ejus pertinebat. relinquitur igitur, ut ab hoc non ſit occiſus.*

Ut autem conſtat Tullii exemplis, prima fere pars, ſeu propoſitio paucis expeditur, nam certo debet conſtare; in Aſſumptione, prout eſt opus, ac in ſingulis ejus membris diutius immorari eſt neceſſe. Sed ut clarius omnia percipiatis, exemplum vobis proponite ex Oratione Ciceronis pro Domo ſua. Defendit in ea novum, quod ipſe ceperat, conſilium de Pompejo rei frumentariæ præficiendo, hac ratiocinatione. Si mea ſententia, qua novum hoc cepi conſilium, reprehenditur, vel ipſa cauſſa hujus capiendi conſilii reprehenditur, vel ejus auctor, vel ipſum conſilium. Sed nihil horum reprehendi poteſt; quum & cauſſa fuerit juſta, fames ſcilicet, & ſeditio populi, concitata Clodiano furore; & ego, qui fui auctor, eſſe debue-

buerim, quia ex me tum a perditis, tum a bonis id petebatur: & conſilium ipſum fuerit ſalutare; quod hoc ei munus tributum fuerit, qui ſolus poterat annonæ inopiæ ſubvenire. Conſtat igitur hanc meam ſententiam a nemine reprehendi potuiſſe.

Sed legite hunc locum Ciceronis, & nihil amplius deſiderabitis. Propoſitionem ita paucis complectitur. *Sed quæro in ipſa ſententia, quoniam princeps ego ſum ejus, atque auctor, quid reprehendatur? Utrum cauſſa capiendi novi conſilii non fuit; an meæ partes in ea cauſſa præcipuæ non fuerunt; an alio potius confugiendum fuit?* Hinc ad Aſſumptionem ſic fertur. *Quæ res, quæ cauſſa major eſſe, quam fames, potuit? quam ſeditio?* . . . Cetera, quæ ſingillatim ſunt uberrime a Cicerone tractata, videte in ejus oratione a cap. v. uſq. ad XII.

Enumeratio vitioſa intelligitur, quum aliquid prætermittitur, quod erat enumerandum, aut aliquid eſt annumeratum, quod contra noſtram ſententiam defendi, aut impugnari ab adverſario poſſit. Sic præteritum quiddam eſſet in hac enumeratione. Quoniam habes iſtum librum, aut emeris oportet, aut domi inveneris, aut dono acceperis; aut ſi horum nihil eſt, ſurripueris neceſſe eſt. ſed neq. emiſti, nec domi habebas, nec donatus tibi eſt. neceſſe eſt ergo ſurripueris. Poterit hæc enumeratio commode reprehendi, ſi dici poſſit liber vel ab amico commodatus, vel hæreditate acquiſitus. Ita enim tota eluditur enumeratio. Pari ratione etiam recta, & diligens enumeratio reprehendetur, ſi poſſit aliquod ejus membrum impugnari, ut exempli cauſ-

cauſſa, ſi poſſit demonſtrari, librum emptum fuiſſe.

Simplex concluſio hic ſumitur pro brevi, ſed efficaci argumentandi ratione, quæ in rebus non dubiis ſolet adhiberi: atque hæc ipſa dicitur ab aliis *Epicherema*: æquius forte, quam ab aliis hoc nomen ſumatur, pro ratiocinatione nimirum vel quadripartita, vel quinquepartita.

Simplex autem concluſio eſt brevis argumentatio, quæ omnes ratiocinationis partes in unam colligit comprehenſionem, hoc modo: *Si vos me iſtud eo tempore feciſſe dicitis; ego autem eo ipſo tempore trans mare fui: relinquitur, ut id quod dicitis, non modo non fecerim, ſed ne potuerim quidem facere*. Hinc ſimplex concluſio ex neceſſaria conſecutione conficitur; ac tum reprehenditur, ſi id quod ſequitur, non videatur neceſſario cum eo, quod anteceſſit, cohærere. nam hoc quidem: Si ſpiritum ducit, vivit: Si dies eſt, lucet, ejuſmodi eſt, ut cum priore neceſſario poſterius cohærere videatur. Hoc autem: Si mater eſt, diligit: Si aliquando peccavit, numquam corrigetur: ſic conveniet reprehendi; ut demonſtretur non neceſſario cum priore poſterius cohærere.

De *Sorite* ſupereſt ut loquamur: Latine is acervum ſignificat, ſive acervationem, atque ita dicitur, ad ejus vim ſignificandam. Eſt enim *Sorites* argumentatio, quæ plures nectit, & coacervat propoſitiones ita ſibi cohærentes, ut una ex alia ſequatur, donec ad id deveniamus, quod ſuadere volumus. Fuit Chryſippo, & aliis veteribus philoſophis, maxime Stoicis, imo & Ciceroni in libris philoſophicis, hæc argumentan-

di ratio probatiſſima: Plura licet exempla deſumere ex Tuſculanis quæſtionibus. ſic lib. III. ipſe diſputat: *Qui ſit frugi igitur, vel, ſi mavis, moderatus, & temperans, eum neceſſe eſt eſſe conſtantem: qui autem conſtans, quietum: qui quietus, perturbatione omni vacuum: ergo etiam ægritudine: & ſunt illa ſapientis: aberit igitur a ſapiente ægritudo.* Idem lib. V. *Omne bonum lætabile eſt; quod autem lætabile, id prædicandum, & præ ſe ferendum; quod tale autem, id etiam glorioſum: ſi vero glorioſum, certe laudabile: quod autem laudabile, profecto etiam honeſtum. Quod bonum igitur, id honeſtum.*

Ita etiam hoc genere argumentationis concludit VI. Paradoxum: *Nec vero, cujus virtus, moreſque laudandi ſunt, ejus non laudanda vita eſt: neque porro fugienda vita, quæ laudanda eſt. eſſet autem fugienda, ſi eſſet miſera. Quamobrem quidquid eſt laudabile, idem & beatum, & floridum, & expetendum videri debet.* Ex hoc poſtremo exemplo poterimus lumen aliquod ſumere, quo etiam in oratione aliquid ſimile adhibeamus, & illuſtremus. Quum tamen vis tota in partium nexu ſit poſita; & cavendum maxime ſit, ne quod adducimus tamquam cohærens, & conſequens, non ſit vere hujuſmodi; idque vel facile contingat, vel plane ſuſpicentur auditores, quum ſe duci ſentiunt per tot ambages: ſatius quidem erit, mea ſententia, hanc totam argumentandi rationem philoſophis relinquere; & ipſorum eruditis diſputationibus.

Quamquam hoc ipſum Stoicorum genus argumentandi nimium ſubtile, & ſpinoſum putabatur & ad fallendum aptiſſimum, qui minutis,

&

& contortulis his concluſiunculis diſputabant. Verum ut qua ratione, quum opus eſt, infringere poſſimus hanc veluti catenam, diſcamus; lubet ſubjicere locum ex lib. I. de Nat. cap. XXXII., ubi rejicit ſententiam Vellei hujuſmodi argumentatione, ſed in uno gradu peccante, confirmatam. *Beatos eſſe Deos ſumpſiſti. Concedimus. Beatum autem ſine virtute neminem eſſe poſſe. id quoque damus, & libenter quidem. Virtutem autem ſine ratione conſtare non poſſe. Conveniat id quoque, neceſſe eſt. Adjungis. Nec rationem eſſe, niſi in hominis figura. Quem tibi hoc daturum putas? Si enim ita eſſet, quid opus erat gradatim iſtuc pervenire? ſumpſiſſes tuo jure. Nam a beatis ad virtutem, a virtute ad rationem video te veniſſe gradibus. A ratione ad humanam figuram quo modo accedis, præcipitare iſtuc quidem eſt, non deſcendere.*

Quare hæc ipſa ad jocos, & luſus traduci poſſunt, uti de Themiſtocle refert in ejus vita Plutarchus, Jocans enim ſummus ille imperator in filium inſolentius matris, patriſque indulgentia abutentem, plurimum inter omnes Græcos ipſum habere potentiæ, imo & toti Græciæ imperare ſic demonſtrabat: Reliquis enim Græcis Athenienſes imperant: Ego Athenienſibus: mihi uxor: uxori filius: ergo filius toti Græciæ.

De argumentationibus quæ ſumpſimus ex Cic. vide lib. I. *de Invent. c.* XXIX. XXX. XXXI. II. III. IV. V. VI. VII. VIII. VIIII. XL. XLV. VI. *Top.* XIII. *Partit.* XIII.

DE ORATIONE, ET EJUS PARTIBUS

LIBER II.

Quid ſit Oratio, quodque ejus partes.

CAP. I.

UT ex Oratoris officio, quid illud ſit, de quo quærimus, conſtituamus, poterimus ſic orationem definire.

Oratio eſt copioſa, & ornata dicendi ratio ad perſuadendum inſtituta, & accommodata. Hac enim definitione complectimur tres illas dicendi rationes, quæ ſunt oratoriæ facultatis propriæ, quarum una eſt conciliandorum hominum, altera docendorum, tertia concitandorum: nec dubium, quin quodcunque genus cauſſæ ſuſcipiatur, oratori ſemper propoſitum ſit, illud ſuadere, quod eſt oratione demonſtraturus. Hæc demum, de qua loquimur, illa eſt, quæ recte a bono poeta dicta eſt, flexanima atque omnium regina rerum, oratio; ut non modo inclinantem erigere, aut ſtantem inclinare; ſed etiam adverſantem, aut repugnantem, ut imperator bonus, ac fortis capere poſſit. — *Ex* II. *Orat.* XXIX. XLIII. & XLV.

Quatuor ſunt communes orationis partes: Exordium, Propoſitio, Confirmatio, & Peroratio.

Lo-

Loco Propoſitionis ponit Cicero in partitionibus Narrationem. Nos vero, qui hic communes partes recenſemus, quod narratio non ſemper adhibeatur, ejus loco cum Ariſtotele propoſitionem inducimus; quæ demum genus dici poteſt, cui videtur & narratio ſubeſſe, quum ea ſit facti ſive explicatio, ſive propoſitio. ex hiſce partibus, quibus conſtare fere debet omnis oratio, duæ ſunt præcipuæ, propoſitio, & confirmatio. Nam ut apposite dicas, & aperias oportet, quid dicendo velis, & illud confirmes neceſſe eſt.

Quum tamen ipſæ poſtulant cauſſæ, & narratio addenda eſt, & confutatio, ſive reprehenſio; ſed neque ſunt omnium cauſſarum hæ partes, neque videntur penitus a primis illis quatuor diſjunctæ. Nam & propoſitione ſatis indicatur narratio; & quum confutatione eſt opus, hæc pertinet ad confirmationem. Verum de ſingulis agendum eſt.

Quid, & quotuplex ſit exordium; quæque ipſius munera.

CAP. II.

Exordium eſt oratio animum auditoris idonee comparans ad reliquam dictionem: quod eveniet, ſi eum benevolum, attentum, docilem fecerit. Sed qui bene exordiri cauſſam volet, eum neceſſe eſt genus ſuæ cauſſæ diligenter ante cognoſcere. Et quoniam diverſa ſunt cauſſarum genera, exordiri quoque diſpari ratione neceſſe eſt.

Igitur exordium in duas partes dividitur, in Principium, & inſinuationem. *Principium eſt Proœmium quoddam dicendi perſpicue, & protinus efficiens auditorem benevolum, docilem, attentum. Inſinuatio eſt artificioſa quædam diſſimulatio, & circuitio obſcure ſubiens auditoris animum, ejuſque occulte captans ſive benevolentiam, ſive docilitatem, ſive attentionem, ſive ſenſim omnia.*

Benevolentia quatuor potiſſimum ex locis comparatur: ab noſtra, ab adverſariorum, ab judicum, ſive auditorum perſona, ab ipſa cauſſa. Ab noſtra perſona, ſi de noſtris factis, ſive conſiliis ſine arrogantia dicemus: ſi prece, & obſecratione humili, ac ſupplici utemur. Eſt præclariſſimum hoc in genere Exordium poſt reditum ad Quirites. *Quod precatus a Jove Optimo Maximo, ceteriſque Diis immortalibus ſum, Quirites, eo tempore, quum me, fortunaſque meas pro veſtra incolumitate, otio, concordiaque devovi, ut ſi meas rationes umquam veſtræ ſaluti antepoſuiſſem, ſempiternam pœnam ſuſtinerem mea voluntate ſuſceptam .... ejus devotionis me eſſe convictum judicio Deorum immortalium, teſtimonio ſenatus, conſenſu Italiæ, confeſſione inimicorum, beneficio divino, immortalique veſtro, maxime lætor; Quirites.* & in Catil. IV. *Mihi quidem ſi hæc conditio conſulatus data eſt, ut omnes acerbitates, omnes dolores, cruciatuſque perferrem; feram non ſolum fortiter, ſed etiam libenter, dummodo meis laboribus vobis, populoq. R. dignitas, ſaluſque pariatur.* Nihil quidem ad benevolentiam conciliandam poteſt eſſe efficacius hujus animi teſtificatione ſolliciti ma-

gis

gis de Auditorum ſalute, quam de propria. In hoc autem exordio rem eo deducit Cicero, ut ne nos quidem attente poſſimus omnia legere, quin commoveamur.

Monet Tullius II. offic. XIV. Si ineſt in oratione mixta modeſtiæ gravitas, nil admirabilius fieri poſſe. Hæc tamen modeſtia quum plurimum ſemper valet ad animos ſibi auditorum obſtringendos, tum in exordiis debet maxime triumphare. Non alio ſpectant illa Ciceronis pro Quinctio: *Verum ita ſe res habet, ut ego, qui neque uſu ſatis, & ingenio parum poſſum, cum patrono diſertiſſimo comparer*. Pro Lege Manilia. *Nam quum antea per ætatem nondum hujus auctoritatem loci contingere auderem; ſtatueremque, nihil huc niſi perfectum ingenio, elaboratum induſtria afferri oportere: omne meum tempus amicorum temporibus tranſmittendum putavi*.... Pro Cornelio Balbo poſt commendatam aliorum patronorum, qui ante ipſum dixerant, eloquentiam, exercitationem, auctoritatem, ita de ſe loquitur. *Quæ ſunt igitur meæ partes? auctoritatis tantæ, quantam vos in me eſſe voluiſtis, uſus mediocris, ingenii minime voluntati paris*. II. de Lege Agraria. *De me autem ipſo, vereor, ne arrogantis ſit, apud vos dicere; ingrati tacere. Nam & quibus ſtudiis hanc dignitatem conſecutus ſim, memetipſum commemorare, per quam grave eſt; & ſilere de tantis veſtris beneficiis nullo modo poſſum*. Sed hæc paſſim occurrunt in exordiis Ciceronis. Illud puto in hoc ipſo cavendum, ne quibuſdam jam protritis, & pervagatis dicendi modis nos, noſtraque deprimamus, quos norunt omnes non ex

 ani-

animo, ſed ex librario formularum ſumptos eſſe, quibus nihil putidius, nihil odioſus.

Prece etiam, & obſecratione humili, quum eſt opus utitur idem Tullius. Ita pro Sex. Roſcio Amer. *Te quoque magnopere, M. Fanni, quæſo, ut qualem te jam antea populo R. præbuiſti, quum huic idem quæſtioni judex præeſſes, talem te & nobis, & populo R. hoc tempore impertias.* & pro L. Flacco. *Tantum a vobis petimus, ut omnia reip. ſubſidia, omnem ſtatum civitatis, omnium memoriam temporum præteritorum, ſalutem præſentium, ſpem reliquorum, in veſtra poteſtate, in veſtris ſententiis, in hoc uno judicio poſitam eſſe, & defixam putetis... Omnia alia perfugia bonorum, præſidia innocentium, ſubſidia reip., conſilia, auxilia, jura ceciderunt. Quem enim alium appellem? quem obteſter? quem implorem?*

Ab adverſariorum perſona benevolentiam comparabimus, ſi eos aut in odium, aut in invidiam, aut in contemtionem adducemus. In odium adducentur, ſi quod eorum turpiter, ſuperbe, crudeliter, malitioſe factum proferetur. Pro Cæcina. *Si quantum in agro, locisque deſertis audacia poteſt, tantum in foro, atque in judiciis impudentia valeret, non minus nunc in cauſſa cederet A. Cæcina Sex. Æbutii impudentiæ, quam tum in vi facienda ceſſit audaciæ... Ac mihi quidem, quum audax præcipue fuiſſe videtur Æbutius in convocandis hominibus, & armandis; tum impudens in judicio; non ſolum, quod in judicium venire auſus eſt, (nam id quidem etſi improbe fit in aperta re, tamen malitia eſt jam uſitatum) ſed quod non dubitavit*

id

id ipſum, quod arguitur, confiteri. In Philip. II. poſtquam ceteros ſibi infenſos, & inimicos commemoravit, ita cum iis comparat Antonium. *Nemo illorum mihi inimicus fuit voluntarius: omnes a me reip. cauſſa laceſſiti. tu ne verbo quidem violatus, ut audacior, quam Catilina, furioſior, quam Clodius viderere, ultro maledictis me laceſſiſti: tuamque a me alienationem, commendationem tibi ad ampios cives fore putaviſti*.

In invidiam adducuntur adverſarii, ſi vis eorum, potentia, divitiæ, cognatio, pecuniæ proferentur, atque eorum uſus arrogans, & intolerabilis, ut his rebus magis videantur, quam cauſſæ ſuæ confidere. Pro Quintio. *Quæ res in civitate duæ plurimum poſſunt, eæ contra nos ambæ faciunt in hoc tempore, ſumma gratia, & eloquentia; quorum alteram, C. Aquilli, vereor, alteram metuo. Eloquentia Q. Hortenſii, ne me dicendo impediat, nonnihil commoveor: gratia Sex Nævii ne P. Quintio noceat, id vero non mediocriter pertimeſco*. Sed hæc ſine probro: quid vero illa pro Sex. Roſcio Amerino? *Forſitan quæratis, qui iſte terror ſit, & quæ tanta formido, quæ tot, ac tales viros impediat, quo minus pro capite, & fortunis alterius, quemadmodum conſuerunt, cauſſam velint dicere.... Quæ res ea eſt? Bona patris hujuſce Sex. Roſcii .... quæ de viro fortiſſimo, & clariſſimo L. Sulla, quem honoris cauſſa nomino... ſe dicit emiſſe adoleſcens vel potentiſſimus hoc tempore noſtræ civitatis L. Cornelius Chryſogonus. Is a vobis, judices, hoc poſtulat, ut, quoniam in alienam pecuniam tam plenam, atque præclaram nullo jure invaſerit, quoniamque ei pe-*

pecuniæ vita Sex. Roſcii obſtare, atque officere videatur, deleatis ex animo ſuo ſuſpicionem omnem, metumque tollatis. ſe ſe, hoc incolumi, non arbitratur hujus innocentis patrimonium tam amplum, & copioſum poſſe obtinere: damnato, & ejecto, ſperat ſe poſſe, quod adeptus eſt per ſcelus, id per luxuriam effundere, atque conſumere.

In contemtionem pertrahuntur adverſarii, ſi eorum inertia, negligentia, ignavia, deſidioſum ſtudium, & luxurioſum otium proferetur. In Vatinium. *Si tua tantummodo, Vatini, quid indignitas poſtularet, ſpectare voluiſſem, feciſſem id, quod his vehementer placebat, ut te, cujus teſtimonium propter turpitudinem vitæ, ſordeſque domeſticas nullius momenti putaretur, tacitus dimitterem. nemo enim horum aut ita te refutandum, ut gravem adverſarium, aut ita rogandum, ut religioſum teſtem, arbitrabatur.* In Piſonem. *Quod minimum ſpecimen in te ingenii. ingenii autem? immo ingenui hominis, ac liberi; qui colore ipſo patriam aſpernaris, oratione genus, moribus nomen.* Deinde. *Non enim nos color iſte ſervilis, non piloſæ genæ, non dentes putridi deceperunt: oculi, ſupercilia, frons, vultus denique totus, qui ſermo quidam tacitus mentis eſt, hic in fraudem homines impulit: hic eos, quibus erat ignotus, decepit, fefellit, induxit. Pauci iſta tua lutulenta vitia noveramus, pauci tarditatem ingenii, ſtuporem, debilitatemque linguæ. numquam erat audita vox in foro: numquam periculum factum conſilii: nullum non modo illuſtre, ſed ne notum quidem factum aut militiæ, aut domi. obrepſiſti ad honores errore ho-*

hominum, commendatione fumoſarum imaginum, quarum ſimile habes nihil, præter colorem.

Ex reo etiam licebit benevolentiam captare auditorum (reos appello, quorum res eſt) ſi quæ ſignificent virum bonum, proferemus, quæ liberalem, quæ calamitoſum, quæ miſericordia dignum, quæ valeant contra falſam criminationem. Ut modum exemplis faciam, quæ alioquin video rem longius ductura, quam ratio poſtulet, hic ſatis ſit illud afferre pro C. Rabirio Perduellionis reo. *Etſi, Quirites non eſt meæ conſuetudinis, initio dicendi rationem reddere, qua de cauſſa quemque defendam; propterea quod cum omnibus civibus in eorum periculis ſemper ſatis juſtam mihi cauſſam neceſſitudinis eſſe duxi; tamen in hac defenſione capitis, famæ, fortunarumque omnium C. Rabirii proponenda ratio videtur eſſe officii mei: propterea quod, quæ juſtiſſima mihi cauſſa ad hunc defendendum eſſe viſa eſt, eadem vobis ad abſolvendum debet videri. Nam me quum amicitiæ vetuſtas, tum dignitas hominis, tum ratio humanitatis, tum meæ vitæ perpetua conſuetudo, ad C. Rabirium defendendum eſt adhortata; tum vero, ut id ſtudioſiſſime facerem, ſalus reipublicæ, conſulare officium, conſulatus denique ipſe, mihi una vobiſcum cum ſalute reip. commendatus coegit. Non enim C. Rabirium culpa delicti, non invidia, vitæque turpitudo, non denique veteres, juſtæ, graveſque inimicitiæ civium in diſcrimen capitis vocaverunt; ſed, ut illud ſummum auxilium majeſtatis, atque imperii, quod nobis a majoribus eſt traditum, de republica tolleretur; ut nihil poſthac auctoritas ſenatus, nihil conſulare impe-*

rium,

rium, nihil conſenſio bonorum contra peſtem, ac perniciem civitatis valeret: idcirco in his rebus evertendis unius hominis ſenectus, infirmitas, ſolitudoque tentata eſt.

Ab auditorum perſona benevolentia captabitur, ſi res ab his fortiter, ſapienter, manſuete geſtas proferemus, atque ita ipſos, majoreſve ipſorum laudabimus, ut nulla aſſentatio nimia ſignificetur; & ſi de his quam honeſta exiſtimatio, quantaq. eorum judicii, & auctoritatis exſpectatio ſit, oſtendetur. Pro Milone. *Si denique umquam locus ampliſſimorum ordinum delectis viris datus eſt, ubi ſua ſtudia erga fortes, & bonos cives, quæ vultu, & verbis ſæpe ſignificaſſent, re, & ſententiis declararent: hoc profecto tempore eam poteſtatem omnem vos habetis, ut ſtatuatis, utrum nos, qui ſemper veſtræ auctoritati dediti fuimus, ſemper miſeri lugeamus, an diu vexati a perditiſſimis civibus aliquando per vos, ac veſtram fidem, virtutem, ſapientiamque recreemur.* Pro Sex. Roſcio. *Fide, ſapientiaque veſtra fretus plus oneris ſuſtuli, quam ferre me poſſe intelligo: hoc onus ſi vos aliqua ex parte allevabitis, feram, ut potero, ſtudio, & induſtria, judices .... Quanta multitudo hominum convenerit ad hoc judicium, vides: quæ ſit omnium mortalium exſpectatio, quæ cupiditas, ut acria, ac ſevera judicia fiant intelligis.*

Ab ipſis rebus benevolentia conciliatur, quum ea, quæ ſumus dicturi, fore grata, & jucunda auditoribus pollicemur, aut demonſtramus; ſed quum cauſſa erit hujuſmodi, ſatis ſe ſe prodet ipſa. erit tamen artis, eo ipſam in aſpectu ponere,

nere, quo gratior, & jucundior videatur. Comparatio ipſa cauſſarum, qua ſive turpitudinem, ſive infamiam adverſariorum contentionis, & honeſtatem, & juſtitiam cauſſæ noſtræ ſubjiciamus, valet plurimum ad conciliandos auditores. Sic pro Roſcio Amer. *Hunc ſibi ex animo ſcrupulum, qui ſe dies, noctéſque ſtimulat, ac pungit, ut evellatis, poſtulat: & ad hanc ſuam prædam tam nefariam adjutores vos profiteamini. Si vobis æqua, & honeſta poſtulatio videtur, judices; ego contra brevem poſtulationem affero, & quomodo mihi perſuadeo aliquanto æquiorem. Primum a Chryſogono peto, ut pecunia, fortuniſque noſtris contentus ſit, ſanguinem, & vitam ne petat: deinde a vobis, judices, ut audacium ſceleri reſiſtatis, innocentium calamitatem levetis; & in cauſſa Sex. Roſcii periculum, quod in omnes intenditur, propulſetis.* -- In eodem exordio. *Sin aliud agitur nihil, niſi ut iis nequid deſit, quibus ſatis nihil eſt: ſi hoc ſolum hoc tempore pugnatur, ut ad illam opimam, præclaramque prædam damnatio Sex. Roſcii, velut cumulus, accedat: nonne quum multa indigna, tum vel hoc indigniſſimum eſt, vos idoneos habitos, per quorum ſententias, juſque jurandum id aſſequantur, quod antea ipſi ſcelere, & ferro aſſequi conſueverunt?*

Ut ea modo expediamus, quæ de attentione, & docilitate ſuperſunt: Attentionem nobis faciemus, ſi demonſtrabimus ea, quæ dicturi ſumus, magna, nova, incredibilia eſſe, aut ad omnes, aut ad eos, qui audiunt, aut ad aliquos illuſtres homines, aut ad religionem, aut ad ſummam reip. pertinere, & ſi pollicebimur

no-

noſtram cauſſam brevi demonſtraturos. Nihil horum prætermittit Cicero in ſuis exordiis. Ac primum fere omnia complectitur pro Domo ſua, toto quidem principio, ſed præſertim, quum ea dicit. *Quod ſi ullo tempore magna cauſſa in ſacerdotum populi R. judicio, ac poteſtate verſata eſt: hæc profecto tanta eſt, ut omnis reip. dignitas, omnium civium ſalus, vita, libertas, aræ, foci, Dii penates, bona, fortunæ, domicilia, veſtræ ſapientiæ, fidei, poteſtatique commiſſa, creditaque eſſe videantur. Vobis hodierno die conſtituendum eſt, utrum poſthac amentes ac perditos magiſtratus improborum, ac ſceleratorum civium præſidio nudare, an etiam Deorum immortalium religione armare malitis.* Ita pro C. Rabirio Perduellionis reo. *Sic enim exiſtimare debetis, Quirites, poſt hominum memoriam rem nullam majorem, magis periculoſam, magis ab omnibus vobis providendam neque a tribuno plebis ſuſceptam, neque a conſule defenſam, neque ad populum R. eſſe delatam. Agitur enim nihil aliud in hac cauſſa, quirites, quam ut nullum ſit poſthac in rep. publicum conſilium, nulla bonorum conſenſio contra improborum furorem, & audaciam, nullum extremis reip. temporibus perfugium, & præſidium ſalutis.* Hinc licet animadvertere, quemadmodum ſtudeat Cicero cauſſas omnes ad omnium ſalutem, ad commune civitatis bonum, vel diſcrimen traducere, ut hac ratione magis erigat auditorum animos. Sed hoc perpetuum in Ciceronis exordiis, & orationibus artificium.

Jam & illud ad attentionem pertinere dicunt, ut ipſam rogemus, & brevitatem polliceamur.

Ve-

Verum & attentionem, & benevolentiam agendo melius conciliabimus, quam rogando: brevitatem polliceri jam ſolent omnes, præſtant non multi: unde auditores optant potius, quam exſpectent promiſſum. Sunt illa nihilominus ad id comparata, quæ occurrunt ſæpe, ut pro Cluentio. *Quamobrem, dum multorum annorum accuſationi breviter, dilucideque reſpondeo, quæſo, ut me, judices, ſicuti facere inſtituiſtis, benigne, attenteque audiatis*. & pro Sex. Roſcio. *Quæpropter vos oro, atque obſecro, judices, ut attente, bonaque cum venia verba mea audiatis*. Ex ipſa etiam attentione, & exſpectatione auditorum exorditur Cicero orationem IV. in Catilinam, ac ſibi magis obſtringit animos, menteſque patrum conſcriptorum. *Video, P. C., in me omnium veſtrum ora, atque oculos eſſe converſos. Video vos non ſolum de veſtro, ac reipublicæ, verum etiam, ſi id depulſum ſit, de meo periculo eſſe ſollicitos*.

Dociles auditores faciemus, ſi aperte, & breviter ſummam cauſſæ exponemus; hoc eſt in quo conſiſtat controverſia, ſive quid nos in quovis cauſſarum genere probandum ſuſcipimus. Neque dubium, quin, ut dociles faciamus auditores, ſimul attentos facere illos oporteat: nam is maxime docilis eſt, qui attentiſſime eſt paratus audire. Quæ autem huc eſſent referenda, habebis, ubi de Propoſitione, ejuſq. partitione agendum erit.

Quan-

Quandonam uti principio, & quando inſinuatione ſit opus:

CAP. III.

NEmo dubitabit, quin pro cauſſæ ratione, & genere parandum ſit exordium. Quare hinc etiam conſtabit, quando uti principio oporteat, & quando inſinuatione. Poteſt enim cauſſæ genus vel honeſtum eſſe, vel admirabile, vel humile, vel anceps, vel obſcurum. Sane quod honeſtum eſt, nulla indiget inſinuatione. Huic enim cauſſæ ſtatim auditoris favet animus, & ipſa ſatis valet per ſe ad conciliationem. In humili, quod fere negligitur ab auditore, & non magnopere attendendum videtur, omnia ſunt ad attentionem comparanda; & quid momenti inſit in re ipſa, quanti referat de ipſa ſapienter decernere, oſtendere oportet in ipſo principio. Poſſet cenſeri hujuſmodi initium Philippicæ VII. *Parvis de rebus, ſed fortaſſe neceſſariis conſulimur, P. C.* In ancipiti curare debemus, ut in eam partem flectamus auditores, & cauſſam inclinemus, quæ videtur æquior, & honeſtior. In obſcuro cauſſæ genere per principium dociles auditores efficere oportebit.

Admirabile quod dicunt inſinuationibus attribuimus; dicunt autem admirabile, a quo alienatus eſt animus eorum, qui audituri ſunt. Quamquam vero in admirabili genere cauſſæ, ſi non omnino infeſti auditores erunt, principio benevolentiam comparare licebit: ſi tamen erunt penitus averſi ipſorum animi a noſtra ſententia,

con-

confugere neceſſe erit ad inſinuationem. Qua de re ut aliquid ſtatuamus in hiſce præceptionibus; tribus potiſſimum ex cauſſis fit maxime, ut a noſtra cauſſa alienos auditores inveniamus. ac primum, ſi aut ineſt in ipſa cauſſa quædam turpitudo; aut ab iis, qui ante dixerunt, jam quiddam auditori perſuaſum videtur, quod abhorreat a noſtra ſententia; aut eo tempore locus dicendi datur, quum jam illi, quos audire oportet, defeſſi ſunt audiendo. Nam ex hac quoque re non minus, quam ex primis duabus, in oratione nonnumquam animus auditoris offenditur.

Ut a poſtremo incipiamus: ſi auditoris ſtudium defatigatio abalienavit a cauſſa, te brevius quam paratus fueris, eſſe dicturum, commodum eſt polliceri, non imitaturum adverſarium. Sin res dabit, non erit inutile, ab aliqua re nova, aut ridicula incipere: aut ex tempore quæ nata ſit; quod genus ſtrepitum, acclamationem dicemus: aut ab aliqua jam parata exordiri, quæ vel apologum, vel fabulam, vel aliquam contineat irriſionem. aut ſi rei dignitas adimet jocandi facultatem, aliquid triſte, novum, horribile ſtatim non incommodum eſt injicere. nam ut cibi ſatietas, & faſtidium aut ſubamara aliqua re relevatur, aut dulci mitigatur; ſic animus defeſſus audiendo aut admiratione integratur, aut riſu renovatur.

Sin oratio adverſariorum fidem videbitur auditoribus feciſſe, quod ei, qui intelligit, quibus rebus fides fiat, facile erit cognitu; oportet, aut de eo, quod adverſarii ſibi firmiſſimum putarint, & maxime ii, qui audierint, proba-

 rint,

rint, primum te dicturum polliceri, aut ab adverſarii dicto exordiri, & ab eo potiſſimum, quod ille nuperrime dixerit: aut dubitatione uti, quid primum dicas, aut cui potiſſimum loco reſpondeas, cum admiratione. Nam auditor quum eum, quem adverſarii putant oratione perturbatum, videt animo firmiſſimo contra dicere paratum, plerumque ſe potius temere aſſenſiſſe, quam illum ſine cauſſa confidere arbitratur.

In cauſſa A. Cluentii hanc ſummam difficultatem expertus eſt Cicero. Sed ne omnia perveſtigemus, quæ ſunt nimium implicita, huc ſane illa pertinent: *Equidem, quod ad me attinet, quo me vertam neſcio. Negem fuiſſe illam infamiam judicii corrupti? negem illam rem agitatam in concionibus? jactatam in judiciis? commemoratam in ſenatu? evellam ex animis hominum tantam opinionem, tam penitus inſitam, tam vetuſtam? non eſt noſtri ingenii: veſtri auxilii eſt judices hujus innocentiæ ſic in hac calamitoſa fama, quaſi in aliqua pernicioſiſſima flamma, atque in communi incendio ſubvenire.* Nec multo poſt. *Deinde ſi quam opinionem jam veſtris mentibus comprehendiſtis, ſi eam ratio convellet, ſi oratio labefactabit, ſi denique veritas extorquebit, ne repugnetis, eamque animis veſtris aut libentibus, aut æquis remittatis. tum autem, quum ego unaquaque de re dicam, & diluam, ne ipſi, quæ contraria ſunt, taciti cogitationi veſtræ ſubjiciatis, ſed ad extremum exſpectetis, & me meum dicendi ordinem ſervare patiamini.*

Eodem fere artificio III. de Lege Agraria ſtudet ex animis Populi R. evellere, quæ tribunus ple-

plebis contra ejus ſententiam in concionibus ſuadere conatus fuerat. *Video quoſdam, Quirites, ſtrepitu ſignificare neſcio quid, & non eoſdem vultus, quos proxima mea concione præbuerunt, in hanc concionem mihi retuliſſe. Quare a vobis, qui nihil de me credidiſtis, ut eam voluntatem, quam ſemper habuiſtis erga me, retineatis, peto: a vobis autem, quos leviter immutatos eſſe ſentio, parvam exigui temporis uſuram bonæ de me opinionis poſtulo, ut eam, ſi quæ dixero, vobis probabo, perpetuo retineatis; ſin aliter, hoc ipſo in loco depoſitam, atque abjectam relinquatis.*

Si cauſſa turpitudine aliqua per ſe laborabit, vel quacunque ratione invisa erit, & ingrata auditoribus; tum ab eo, quod oderunt, ad id, quod diligunt, ipſorum animi traducendi ſunt: tum juvat diſſimulare id nos eſſe probaturos, ad quod ſuadendum venimus: deinde quum jam mitiores facti fuerint auditores; tum ingredi pedetentim poterimus in cauſſæ propoſitionem, ita vero, ut verbis omnino leniatur invidia, & ſub ea ſpecie res proponatur, quæ vel nihil, vel minimum offendat.

Nihil poterat eſſe populo R. odioſius, nihil videri infeſtius Ciceronis ſententia, qua dum legem Rulli diſſuadebat, plebis commodis officere videbatur, ac præſenti, quæ offerebatur, utilitati: Legite II. Orationis de Lege Agraria exordium. Primum invenietis ampliſſimam pro Conſulatu animi grati erga populum teſtificationem, gratiarumq. actionem ornatiſſimam. Quid poſtea? *Hoc ego tam inſigne, tam ſingulare veſtrum beneficium. Quirites, quum ad animi mei*

fructum, atque lætitiam duco eſſe permagnum, tum ad curam, ſollicitudinemque multo majus. Verſantur enim, Quirites, in animo meo multæ, & graves cogitationes, quæ mihi nullam partem neque diurnæ, neque nocturnæ quietis impertiunt: primum tuendi conſulatus . . . . Vos cetera animadvertite, quæ nihil niſi ejus erga populum R. incredibile ſtudium oſtendunt. Hæc non poſſum præterire, quæ ſunt ſingularis artificii. In hac enim ipſa legis diſſuaſione vult haberi maxime popularis. *Neque enim ullo modo facere poſſum, ut quum me intelligam, non hominum potentium ſtudio, non excellentibus gratiis paucorum, ſed univerſi populi R. judicio conſulem ita factum, ut nobiliſſimis hominibus longe præponerer, non & in hoc magiſtratu, & in omni vita eſſem popularis.* alia interponuntur; ac deinde. *Dixi in ſenatu, in hoc magiſtratu, me popularem conſulem futurum. Quid enim eſt tam populare, quam pax! qua non modo it, quibus natura ſenſum dedit, ſed etiam tecta, atque agri mihi lætari videntur. Quid tam populare, quam libertas? quam non ſolum ab hominibus, verum etiam a beſtiis expeti, atque omnibus rebus anteponi videtis. quid tam populare, quam otium? quod ita jucundum eſt, ut & vos, & majores veſtri, & fortiſſimus quiſque vir maximos labores ſuſcipiendos putet, ut aliquando in otio poſſit eſſe, præſertim in imperio, ac dignitate: qui id circo etiam majoribus noſtris præcipuam laudem, gratiamque debemus, quod eorum labore eſt factum, ut impune in otio eſſe poſſemus. Quare qui poſſum non eſſe popularis, quum videam hæc omnia, Quirites, pacem exter-*

nam,

nam, libertatem propriam generis, ac nominis veſtri, otium domeſticum, denique omnia, quæ vobis cara, atque ampla ſunt, in fidem, & quodam modo in patrocinium mei conſulatus eſſe collocata? Quid inde? quod initio aſperum fuiſſet; nunc vero ita eſt delinitum, ut offendere nullo modo poſſit. *Neque enim, Quirites, illud vobis jucundum, aut populare debet videri, largitio aliqua promulgata, quæ verbis oſtentari poteſt, re vera fieri, niſi exhauſto ærario, nullo modo poteſt.* Sed quamdiu progreditur in hanc ſententiam? Huc prope refert omnia eloquentiſſimæ hujus, & ampliſſimæ Concionis.

Inſinuatione idem Tullius exorditur Divinationem ſuam, qua ſibi potius, quam Cæcilio Verris accuſationem tribuendam eſſe contendit. *Si quis veſtrum, judices, aut eorum, qui adſunt, forte miratur, me, qui tot annis in cauſſis, judiciiſque publicis ita ſim verſatus, ut defenderim multos, læſerim neminem, ſubito nunc mutata voluntate ad accuſandum deſcendere: is ſi mei conſilii cauſſam, rationemque cognoverit, una & id, quod facio, probabit, & in hac cauſſa profecto neminem præponendum eſſe mihi actorem putabit.* Cauſſam adducit, rationemque; tum ita concludit: *Adductus ſum, judices, officio, fide, miſericordia, multorum bonorum exemplo, veteri conſuetudine, inſtitutoque majorum, ut onus hoc laboris, atque officii, non ex meo, ſed ex meorum neceſſariorum tempore mihi ſuſcipiendum putarem. Quo in negotio tamen illa me res, judices, conſolatur, quod hæc, quæ videtur eſſe accuſatio mea, non potius accuſatio, quam defenſio eſt exiſtimanda. Defendo enim multos*

mortales, multas civitates, provinciam Siciliam totam. Quamobrem ſi mihi unus eſt accuſandus, propemodum manere in inſtituto meo videor, & non omnino a defendendis hominibus, ſublevandiſque diſcedere.

Subjiciunt alii exordium abruptum; quibuſque id cauſis conveniat, definiunt. Sed vere nihil eſt exordium hujuſmodi. Tum enim ponunt, quum orator ſine præparatione animorum repente in cauſſam ingreditur, adeoque exordium omne ex impetu quodam animi, & vehementi commotione relinquit. Quare tum dici quidem poterit oratio abrupta, ut eſt apud Ariſtotelem, nimirum ſine principio; ſed nihil de exordio, quod tum omittitur, præcipi poteſt. Jam vero ex his quæ dicta ſunt, & potiſſimum ex Ciceronis exemplo in Catilinam I. quando nam repentini hujuſmodi in cauſſam ingreſſus ſint maxime opportuni, facile erit intelligere. Quum enim non tam probandum eſt factum aliquod, ſive ſcelus crudele, & infandum, quam reprehendendum, & deteſtandum; nec blande expedit in animos ſubire auditorum, ſed res atrocior, aut miſerabilior poſtulat, ut ſtatim omni vi, omni acrimonia eos invadamus, occupemus, concutiamus, tum vehementioribus figuris rem ſtatim decet aggredi. Quod tum maxime conveniebat, quum Magiſtratus in concionem vocati, vel in ſenatu ſententiam rogati, vel quovis alio caſu incitati, qui ſemper ad dicendum erant paratiſſimi, ex tempore videbantur dicere. Tum demum hoc genus orationis laudatur, quum non tam artificioſe quæſitum, quam ſponte erumpens ex animo videtur; quemadmodum apparet

in 1. oratione, quam habuit Cicero in Catilinam, qui aderat. *Quouſque tandem abutere, Catilina, patientia noſtra? Quamdiu etiam furor iſte tuus nos eludet? quem ad finem ſe ſe effrenata jactabit audacia?* Alteram etiam perpendite, abruptam quidem, ſed non ita concitatam: in qua motus ſunt potius exultantis, quam incenſi iracundia. *Tandem aliquando* ....

Quid in exordiis conficiendis curandum, quid cavendum, & unde ſumenda.

CAP. IV.

POſtquam jam fontes indicavimus, ex quibus omnis copia manat orationis; non eſt, cur modo quæramus, unde ſint exordia ducenda. nemo enim non videt ex omnibus locis, pro cauſſarum varietate, apta ſumi poſſe dicendi principia. Si quid deinde hac de re videtur præcipiendum, magna ex parte conſequitur ex iis, quæ diximus de ratione conciliandæ benevolentiæ, docilitatis, & attentionis. Alia quid afferemus, quæ, niſi naſcantur ex ipſa cauſſa, & re, ſolent eſſe ineptiſſima?

Primum itaque, loco hos fontes indicandi, quos facile eſt cetera proſpicienti invenire, videntur ea animadvertenda, quæ ſunt hac in re præcipua. Statuite, non, ut plurimi ſolent, quum orationem elaborandam ſuſcipiunt, primam eſſe operam in exordio concinando impendendam; ſed ut monet Cicero, tota cauſſa pertentata, atque perſpecta, locis omnibus in-

ventis atque inſtructis , tum denique id , quod primum eſt dicendum , cogitari oportere , quo videlicet utamur exordio . Hinc enim fiet , ut non exilia , aut nugatoria , aut vulgaria , & communia reperiantur ; ſed gravia , ſplendida , propria , & opportuna : neque extrinſecus quærantur , ſed ex ipſis viſceribus cauſſæ . Tum enim momenti aliquid afferent , quum erunt pene ex intima cauſſa deprompta principia ; & apparebit , ea non modo non eſſe communia , nec in alias cauſſas poſſe transferri , ſed penitus ex ea cauſſa , quæ tum agitur , effloruiſſe .

Quod licet maxime ſit obſervandum in exordiis generis judicialis ; tamen eſt minime negligendum in aliis generibus . Nam principia dicendi ſemper quum accurata , & acuta , & inſtructa ſententiis , apta verbis ; tum vero cauſſarum propria eſſe debent . Prima eſt enim quaſi cognitio , & commendatio orationis in principio , quæ continuo eum , qui audit , permulcere , atque allicere debet . Certe , quocunque in genere ſit , debet principium , aut rei totius , quæ agetur , ſignificationem habere , aut aditum ad cauſſam , & munitionem , aut quoddam ornamentum , & dignitatem .

Sunt autem ea potiſſimum , antequam ad dicendum accedas , pernoſcenda , quo loco dicturus ſis , quam perſonam ſuſtineas , qua ſint auditores indole , qua præditi opinione , quæ rerum fama , quæ regionis conſuetudo , omnia demum , quæ antea perſpecta poſſunt lumen aliquod ſuppeditare , quo videas , qua ex parte , & qua ratione faciliores invenias aditus in animos auditorum .

Hinc

Hinc vitia ſunt exordiorum certiſſima, quæ ſummopere vitare oportebit, vulgare, commune, commutabile, longum, ſeparatum, translatum, contra præcepta. Vulgare eſt, quod in plures cauſſas poteſt accommodari, ut convenire videatur. Commune eſt, quod nihilo minus in hanc, quam in contrariam partem poteſt convenire. Commutabile eſt, quod ab adverſario poteſt leviter mutatum ex contraria parte dici. Longum eſt, quod pluribus verbis, aut ſententiis, ultra quam ſatis eſt, producitur. Separatum eſt, quod non ex ipſa cauſſa ductum eſt, nec, ſicut aliquod membrum, annexum orationi. Translatum eſt, quod aliud conficit, quam cauſſæ genus poſtulat: ut ſi quis docilem faciat auditorem, quum benevolentiam cauſſa deſiderat: aut ſi principio utatur, quum inſinuationem res poſtulat. Contra præcepta eſt, quod nihil eorum efficit, quorum cauſſa de exordiis præcepta traduntur: hoc eſt, quod eum, qui audit, neque benevolum, neque attentum, neque docilem efficit: aut, quo profecto nihil pejus eſt, ut contra ſit, facit.

Si vero jam tandem locos requiras, unde exordia ſumuntur; quid ego præſcribam, ſi ea ſunt cauſſis accommodanda? Non eſſet difficile locos omnes explorare, ex quibus ſua dixit exordia Cicero; præſertim poſtquam diligentiſſime per viros hujus artis peritos id ipſum peractum eſt. Verum quid id prodeſſet? Non enim poſſemus in hunc locum omnia referre orationum ejus exordia; in eorum autem fontibus jejune dumtaxat verſari, vix aliquid haberet emolumenti.

Id ſolum animadvertere operæ pretium erit, in

in plerisque exordiis induci a præſtantiſſimo Oratore adjuncta ſive rerum, ut pro Milone; ſive locorum, & perſonarum, ut ibidem, & pro Lege Manilia; ſive temporis, ut pro Cælio; ſive demum cauſſarum, de quibus agebat, ut ſemper. Quamquam ad alios locos eo pertinentes, & quidem uberrimos ſimul confugit perſæpe. Hinc enim non poſſunt proficiſci exordia niſi ad rem penitus accommodata. Quare idem docet, exordia ex iis rebus ſumenda eſſe, quæ erunt uberrimæ vel in argumentis, vel in iis partibus, ad quas digredi ſæpe oportet in oratione, quæque ad hanc pertinent. Sunt autem commotiones quædam animorum, quæ pro cauſſarum ratione conveniunt etiam exordiis.

De Exordiorum menſura.

CAP. V.

DE certa exordii menſura nihil definiri poteſt. Longum tamen exordium improbari, tamquam vitioſum, audivimus. Sed longum illud eſt, quod pluribus verbis, aut ſententiis ultra quam ſatis ſit producitur. Quare fieri poterit, ut nimium ſit prolixum, quod paucis ſententiis ſit comprehenſum; & ſatis breve habeatur, quod fuſius, ſed appoſite ſit explicatum. Non negaverim tamen, ubique auditoribus ingratam eſſe nimiam prolixitatem, at in exordio eſſe oratori vehementer infeſtam; quum hac ratione ab audiendo alienet. Si enim attentionem ſibi con-

conciliat brevitas; quam avertet prolixius exordium, quod diuturniorem moleſtiam futuræ orationis denunciat?

In cauſſis quidem generis judicialis, ſolent eſſe prolixiora. Debent enim ſive defenſioni, ſive accuſationi viam ita præmunire, ut jam animos, ſi fieri poſſit, judicum ad eos motus inflectant, quos cauſſa poſtulat. legite Ciceronis exordium pro Sex. Roſcio Amerino: ſi vos fingetis animis, adeſſe in illo judicio, ac modo agi illam cauſſam, nihil dubito, quin, antequam orator aggrediatur narrationem, in Roſcii inimicos, in ſceleris ipſorum nefarii vindictam incitari, & ad miſericordiam erga Roſcium innocentem impelli vos ſentiatis. Sed hæc ſæpiſſime in Cicerone. Neque eſt dubium, quin exordium dicendi in hoc genere vehemens, & pugnax ſæpe eſſe debeat. Modus tamen eſt adhibendus, ne nimis initio ſe profundat. Nam ante congreſſum ea decet proferre, quæ potius incitent animos ad pugnandum, quam quæ ad vulnus infligendum ſint comparata. Exempla ſi lubet recognoſere, percurrite exordia pro Sextio, pro Cælio, Philipp. II., & alia paſſim.

In genere deliberativo breviora ſolent adhiberi exordia; hæc pariter ſummo artificio debent eſſe elaborata, ſed non minus ab hiſce, quam ab iis generis judicialis abeſſe debet ſpecies ipſa, imo & ſuſpicio artificii. Nam hæc opinio apparatioris, atque artificioſæ diligentiæ adimit orationi fidem, & oratori auctoritatem. Debent itaque hæc exordia & gravitatis plurimum habere, & omnia, quæ pertinent ad dignitatem; ſed ſimul ita videri debent aperta, ita

ex-

explicata, ut animus ipſe dicentis appareat communis boni, & auditorum, ſive patriæ ſalutis, & gloriæ incenſus ardore. Perpendite exordia pro Lege Manilia, & orationum de Lege Agraria.

Genus demonſtrativum prout laudem, vel vituperationem continet, aliquid hujuſmodi præcipere poterit; a laude nimirum, ſive a vituperatione ductum. Sed hæc multo liberiora, & quum prope ad delectationem ſint inſtituta principia, poterunt etiam eſſe magis ad pompam ornata, ac, dummodo abſit tumor, & fucus, a quo teretes aures, & eruditæ ſemper abhorrent, nihil officiet omnis ſplendor verborum, & feſtivitas, & concinnitas. Ad id enim parati veniunt auditores, & quum ea percipiunt, quæ ſunt ad jucundam delectationem elaborata diligenter, audiunt attente, & gratias habent oratori, quod eos ſuavi perfundat voluptate, vel non ſine jucundo animi ſenſu ipſos impleat admiratione. Principia videte orationum poſt red. ad Quir., & in Sen. In quovis tamen genere, uti jam ſupra demonſtratum eſt, ita debent exordia confici, ita duci per varias ſententias nexas inter ſe, ut concinne cadant in id, quod debet eſſe exorſus orationis noſtræ: ut ſit principium tamquam membrum cohærens cum omni corpore.

De partibus exordiorum nihil certi præſcribi poteſt: eaſque ad artem velle revocare, idem eſſet, ac velle unum indumentum omni ætati, & ſtaturæ, & conditioni, & tempori accommodare. Aliqui nihilominus ex animadverſione rationem aliquam ſtatuerunt certis partibus exordium conſtruendi. Laudatur Hermogenis partitio

tio quædam in propoſitionem, rationem propoſitionis, aſſumptionem, & concluſionem. Propoſitio eſt, quæ primam exordii ſententiam continet deſumptam vel ab adjunctis, vel a cauſſis, vel ab alio loco, quæ tamen ad orationis argumentum pertineat. Ratio eſt cauſſa, quæ redditur propoſitionis, quæ aliquando aliis rationibus communitur, & amplificatur. Aſſumptio, eſt complexio quædam deducta ex propoſitione, & ratione. Concluſio eſt aſſumptionis cauſſa, quæ exordii ſummam colligit, & aditum aperit ad dicenda. Hujuſmodi exemplum affert Hermogenes. Propoſitio. *Quanta ob vectigalium gravitatem mala patiantur inſulæ coloni, neminem veſtrum, Athenienſes, arbitror ignorare.* Ratio. *Quum enim ſolvendo impares cariſſimos filios vendere cogantur, res tanta ignota vobis eſſe non poteſt.* Aſſumptio. *Quamobrem æquum eſt, atque ad veſtram prudentiam attinet, ac dignitatem; ut graviſſima, quibus opprimuntur, onera minuatis.* Concluſio. *Non enim levis nomini veſtro labes impendet, ſi patiamini populos infelices tam impia calamitate laborare.*

Hæc ratio texendi exordii poterit aliquando eſſe adjumento. Sed ut facilius hanc legem inveniatis in pluribus Ciceronis orationibus; ponite loco tertiæ partis, Aſſumptionis nimirum, concluſionem quæ poſtea idem re ſignificat; & loco concluſionis, intelligite propoſitionem vel generalem quamdam, vel magis diſtinctam totius orationis. Sic enim elaboratum invenietis exordium pro Lege Manilia, & alia multa. ac illud quidem, Propoſitionem habet declaratam prima ſententia. *Quamquam mihi ſemper &c.*

ad-

addit rationem ſtatim: *Nam quum antea per ætatem &c.* Sequitur amplificatio, ſeu confirmatio rationis. *Ita neque hic locus &c.* Pergit deinde ad Aſſumptionem, ſeu potius ad Concluſionem. *Nunc quum & auctoritatis &c.* Ac demum deſcendit in propoſitionem. *Atque illud in primis mihi lætandum jure eſſe video &c.*

II. *de Orat. cap.* LXXVII. VIII. & IX. -- I. *de Invent. cap.* XV. XVI. XVII. & XVIII.

De Propoſitione, & Partitione.

CAP. VI.

PRopoſitio eſt, *per quam oſtendimus ſummatim, quod dicendo probare volumus.* Hanc, & brevem, & dilucidam eſſe oportere, nemo non videt, quum id maxime ad docilitatem pertinere ſit certiſſimum. In hoc itaque, dum propoſitioni ſtudemus, maxime laborandum, ut omni ex parte ſit perſpicua; ut nulla ſit ſententia, nullo verbo impedita.

Num arte tractanda ſit propoſitio, & cultu aliquo exquiſito ornanda, quærunt aliqui. Mihi ne quærendum hic videtur. In hoc enim totam artem propoſitionis ſitam eſſe arbitror, ut ſummam totius orationis brevius, & clarius, quam fieri poſſit, explicet. Non tamen negaverim ex hac ipſa brevitate, & perſpicuitate pluries conſequi concinnitatem quamdam, & nitidum ornatum verborum; præſertim quum in partes eſt propoſitio diſtribuenda.

Nam

Nam duplex eſt hujus ratio propoſitionis; alia ſimplex, alia in partes diſtributa. Simplex eſt, quæ rem unam oratione demonſtrandam proponit. Quum in hanc incidimus, non eſt nobis laborandum. poſtquam enim ſtatuimus, quid oratione velimus demonſtrare, id clare antea proponere, nullius negotii videtur. Quum tamen in genere exornativo verſamur, iſtæ etiam propoſitiones videntur cultum aliquem, & ornatum minime reſpuere. Sic poſt reditum ad Quirites, (ſi illa propoſitio eſt): *Quorſum igitur hæc diſputo? quorſum? ut intelligere poſſitis, neminem umquam tanta eloquentia fuiſſe, neque tam divino, & incredibili genere dicendi, qui veſtrorum magnitudinem, multitudinemque beneficiorum, quæ in me, fratremque meum, liberoſque noſtros contuliſtis, non modo augere, aut ornare oratione, ſed enumerare, aut conſequi poſſit*. Brevius etiam indicatur, & illuſtrius propoſitio pro M. Marcello. *Ex quo profecto intelligis, quanta in dato beneficio ſit laus, quum in accepto tanta ſit gloria*. Latiorem quamdam, & ſimplicem propoſitionem conſiderare in fine exordii pro Lege Manilia, & in ea aliquantiſper exultare oratorem comperietis. *Atque illud in primis mihi lætandum jure video, quod in hac inſolita mihi ex hoc loco ratione dicendi cauſſa talis oblata eſt, in qua oratio nemini deeſſe poteſt. Dicendum eſt enim de Cn. Pompeji ſingulari, eximiaque virtute: hujus autem orationis difficilius eſt exitum, quam principium invenire*.

Alia eſt propoſitio, quæ in partes diſtribuitur. Hæc partitio propoſitionis non eſt certe pars ora-

orationis a propoſitione diſtincta, ſed eſt ejuſdem propoſitionis diligens quædam in ſuas partes diſtributio. Recte autem habita in cauſſa partitio illuſtrem, & perſpicuam totam efficit orationem. Ejus duas eſſe partes tradunt, unam, quæ quid cum adverſariis conveniat, & quid in controverſia relinquatur, oſtendit. Sic conveniebat in Miloniana, Clodium interfectum eſſe; quæſtio erat utri inſidias feciſſet. Altera pars eſt, in qua rerum earum, de quibus dicturi ſumus, breviter expoſitio ponitur diſtributa. De hac præſertim agimus diſtributione, quæ in omni cauſſarum genere locum habet:

Hæc itaque diſtributa in partes expoſitio habere debet brevitatem, abſolutionem, paucitatem. Brevitas eſt, quum nullum niſi neceſſarium aſſumitur verbum. Hæc in hoc genere idcirco utilis eſt, quod rebus ipſis, & partibus cauſſæ, non verbis, neque extraneis ornamentis animus auditoris tenendus eſt. Abſolutio eſt, per quam omnia, quæ incidunt in cauſſam, genera, de quibus dicendum eſt, amplectimur. In qua partitione videndum eſt, ne aut aliquod genus utile relinquatur, aut ſero extra partitionem, id quod vitioſiſſimum eſt, inferatur. Paucitas in partitione ſervatur, ſi genera ipſa rerum ponuntur, neque permixte cum partibus implicantur. Hinc qui ita partiretur: Oſtendam, propter cupiditatem, & audaciam, & avaritiam adverſariorum omnia incommoda ad remp. perveniſſe; is non intelligeret, in partitione, ex poſito genere partem ſe generis admiſcuiſſe. Nam genus eſt omnium nimirum libidinum cupiditas: ejus autem generis ſine dubio pars eſt avaritia.

Digitized by Google

Hoc itaque ſemper vitandum eſt, ne, cujus genus poſueris, ejus ſecum aliquam partem, uti aliquid diſtinctum, ponas in eadem partitione. Quod ſi in propoſitum genus plures incident partes, id quum in prima partitione erit ſimpliciter expoſitum, diſtribuetur eo tempore commodiſſime, quum ad ipſum ventum erit explicandum in cauſſæ dictione poſt partitionem. Atque illud quoque pertinet ad paucitatem, ne plura, quam ſatis eſt, demonſtraturos non eſſe dicamus, hoc modo: Oſtendam adverſarios, quod arguimus, & potuiſſe facere, & voluiſſe, & feciſſe. nam feciſſe oſtendere ſatis eſt. Poſtremo illud cavendum, ne quod omnino ſimplex eſt, partiri velimus; ac propterea in ea membra diſtribuamus propoſitionem, quæ pluribus ſint verbis diſtincta, re autem in idem recidant. Illud vero meminiſſe oportebit in tota dictione, ut quævis pars, ut expoſita eſt in partitione, ſic ordine tranſigatur. ut omnibus explicatis, quæ propoſuimus, perorandum ſit, & id quod ex omnibus partibus conficitur, illud ipſum ſit, quod demonſtrandum ſuſcepimus.

Ita aliquando partitio fit, ut partibus jam expoſitis, alia partitio ſubjiciatur, qua ſive ad caput, ſive ad cauſſam aliquam redigantur jam diſtributæ partes. Sic pro Cluentio in judicio maxime implicito, & involuto rem Cicero propoſitam in ſuas partes diſtribuit. *Oſtendam, judices, primum, quoniam caput illius attrocitatis, atque invidiæ fuit, innocentem pecunia circumventum, neminem umquam majoribus criminibus, gravioribus teſtibus eſſe in judicium vocatum; deinde ea de eo præjudicia eſſe facta ab ipſis judicibus,*

a quibus condemnatus eſt, ut non modo ab iiſdem, ſed ne ab aliis quidem ullis abſolvi ullo modo poſſet. Quum hæc docuero, tum illud oſtendam, quod maxime requiri intelligo, judicium illud pecunia eſſe tentatum, non a Cluentio, ſed contra Cluentium. Hinc rurſum. *Faciamque, ut intelligatis in tota illa cauſſa, quid res ipſa tulerit, quid error affinxerit, quid invidia conflarit.*

Eſt aliquid ſimile in Oratione pro Sex. Roſcio licet aliquanto poſt narrationem. *Tres ſunt res quantum ego exiſtimare poſſum, quæ obſtant hoc tempore Sex. Roſcio, crimen adverſariorum, & audacia, & potentia. Criminis confictionem accuſator Erucius ſuſcepit: audaciæ partes Roſcii ſibi popoſcerunt: Chryſogonus autem, is, qui plurimum poteſt, potentia pugnat. De hiſce omnibus rebus me dicere oportere intelligo. Quid igitur eſt? non eodem modo de omnibus: ideo quod prima illa res ad meum officium pertinet; duas autem reliquas vobis populus R. impoſuit. ego crimen oportet diluam; vos & audaciæ reſiſtere, & hominum ejuſmodi pernicioſam, atque intolerandam potentiam primo quoque tempore extinguere, atque opprimere debetis.*

Hic videtis quemadmodum partitioni opportunæ diſtributiones novum lumen adhibeant, & rem totam faciant illuſtriorem. Non tamen id ſemper oratio poſtulat; & expedit quandoque uti ſimplici partitione, ut ſæpe idem Cicero. Hinc pro Lege Manilia ſic totam cauſſam in ſuas partes diſtribuit: *Primum mihi videtur de genere belli, deinde de magnitudine, tum de imperatore diligendo eſſe dicendum.*

In

In quot partes expediat propoſitionem diſtribuere, & non plures, inquiri ſolet; Brevitatem, & paucitatem quo pacto ſibi adſciſcat partitio jam vidimus, neque tamen certus partium numerus præſcribi poteſt. Quamquam mihi quidem vim habere præcepti videtur, quod licet in Tullio obſervare, qui vel duabus partibus eſt contentus, vel ternarium numerum excedere non ſolet. Quotquot ſane attulimus, videtis, propoſitiones eſſe tripartitas. ſed etiam bipertitas non erit difficile invenire. Talis eſt illa pro Archia Poeta. *Quod ſi mihi a vobis tribui, concedique ſentiam, perficiam profecto, ut hunc A. Licinium non modo non ſegregandum, quum ſit civis, a numero civium, verum etiam, ſi non eſſet, putetis adſciſcendum fuiſſe*. Pulcherrimam certe hujus ſpeciem propoſitionis bipartitæ habet poſtrema clauſula exordii pro C. Rabirio Perduellionis reo. *Deinde vos, Quirites, quorum poteſtas proxime ad Deorum immortalium numen accedit, oro, atque obſecro, quoniam uno tempore vita C. Rabirii hominis miſerrimi, atque innocentiſſimi, ſalus reip. veſtris manibus, ſuffragiiſque permittitur, adhibeatis in hominis fortunis miſericordiam, in reip. ſalute ſapientiam, quam ſoletis*.

Ternariam diviſionem paſſim invenitis. Ita ex accuſatione adverſariorum hunc ſibi etiam ſtatuit numerum pro L. Murena. *Intelligo, judices, tres totius accuſationis partes fuiſſe, & earum unam in reprehenſione vitæ, alteram in contentione dignitatis, tertiam in criminibus ambitus eſſe verſatam*. Agit vero ipſe, & primum ſimplicem præmittit propoſitionem Phil. VII. hoc

pacto. *Ego ille, dicam ſæpius, pacis ſemper laudator, ſemper auctor, pacem cum M. Antonio eſſe nolo*. Tum ſubdit partitionem. *Cur igitur pacem nolo? quia turpis eſt, quia periculoſa, quia eſſe non poteſt*.

Sed primum in propoſitione deligenda conſiderandum eſt, quid te probaturum eſſe pollicearis. nam facile eſt, magna, nova, admirabilia in propoſitione jactare; non ita vero, quæ promiſeris, præſtare; niſi prius rem ipſam, & vires tuas, & quæ præſto tibi fuerint, & paraveris, diligenter expendas. Unde hic etiam locum habet illud Horatii:

„ Sumite materiam veſtris, qui ſcribitis,
„ æquam
„ Viribus, & verſate diu, quid ferre re-
„ cuſent,
„ Quid valeant humeri.

Et ſane laudabilius eſt aliquid moderatius proponere, & uberius poſtea illud explicare, & longius provehere; quam poſt magnificos propoſitionum apparatus, ad nugas, & ineptias, vel nimium vulgaria, & protrita abire. Illud etiam memineris, poſtquam aliquid demonſtrandum ſuſceperis, ac propoſueris, eo perpetuo cogitationem, & mentem intendere oportere; ut omnia, quæ dices, propoſito conveniant; ac ne illud quis objiciat ejuſdem Poetæ.

. . . . Amphora cæpit
„ Inſtitui; currente rota cur urceus exit? . .
De Arte. *Alia in part*. I. *Inven*. c. XXIX. & XXXIII.

De

De Narratione:
Quid ea ſit, & qui ejus characteres.

CAP. VII.

DE Narratione nunc agimus, quæ civilis dicitur, in qua ipſa cauſſa, & omnis ratio controverſiæ continetur. Igitur, de qua nunc loquimur.

Narratio eſt rerum explicatio, & quædam quaſi ſedes, ac fundamentum conſtituendæ fidei. Narrationes hujus generis ſint credibiles oportet maxime, nec hiſtorico, ſed prope quotidiano ſermone breviter explicatæ, & dilucide. Hinc licet conſtituere quatuor præcipuas eſſe narrationum hujus generis virtutes, ſeu proprios characteres, Brevitatem nimirum, perſpicuitatem, probabilitatem, & ſuavitatem, ſive jucunditatem.

Ac primum brevis erit Narratio, ſi unde neceſſe eſt, inde initium ſumetur, & non ab ultimo repetetur; & ſi cujus rei ſatis erit ſummam dixiſſe, ejus partes non dicentur: nam ſæpe ſatis eſt, quod factum ſit dicere, quin, quemadmodum factum ſit, enarres: & ſi non longius, quàm quod ſcitu opus eſt, in narrando procedetur: & ſi in nullam rem aliam tranſibitur: & ſi non modo, quod obeſt, verum etiam id, quod non obeſt, nec adjuvat, præteribitur: & ſi ſemel unumquodque dicetur. Ac multos imitatio brevitatis decipit, ut quum ſe breves putent eſſe, longiſſimi ſint: quum dent operam, ut res multas breviter dicant, non ut om-

omnino paucas res dicant, & non plures, quam neceſſe ſit. Nam pleriſque breviter is dicere videtur, qui ita dicit: Acceſſi ad ædes: puerum evocavi: reſpondit: quæſivi dominum: domi negavit eſſe. Hic tametſi tot res brevius non potuit dicere: tamen quia ſatis fuit dixiſſe: Domi negavit eſſe, fit rerum moltitudine longus.

In ea brevitate, quam narratio deſiderat, cave credas, laudari, quæ ſint penitus arida, ſicca, jejuna. Itaque ſi brevitas appellanda eſt, quum verbum nullum redundet, brevis eſt vel ipſa Tullii oratio tota, ſed præcipue narratio. Sin tum brevitas putatur eſſe, quum tantum verborum eſt, quantum neceſſe eſt; aliquando id opus eſt; ſed ſæpe obeſt vel maxime in narrando, non ſolum, quod obſcuritatem affert, ſed etiam, quod eam virtutem, quæ narrationis eſt maxima, ut ſit jucunda, & ad perſuadendum accommodata, tollit. *Sex. Roſcius* (incipit Cicero Narrationem) *pater hujuſce, municeps Amerinus, fuit quum genere, & nobilitate, & pecunia non modo ſui municipii, verum etiam ejus vicinitatis facile primus; tum gratia, atque hoſpitiis florens hominum nobiliſſimorum.* Quam longa eſt narratio? quam longe videtur petita? Perge tamen; lege omnia diligenter, quæ ſequuntur; & perſpicies, quam hæc ipſa ſint neceſſaria ad fundamentum ſtabiliendum conſtituendæ fidei, ad oſtendendum, quam inique ejus bona tamquam proſcripti a Sulla fuiſſent publicata. Quid illa pro Milone? *Milo autem quum in ſenatu fuiſſet eo die, quoad ſenatus dimiſſus eſt, domum venit; calceos, & veſtimenta mutavit: paulliſper, dum ſe uxor, ut fit, com-*

pa-

parat, *commoratus eſt*: *deinde profectus eſt id temporis*, *quum jam Clodius*, *ſiquidem*, *eo die Romam venturus erat*, *redire potuiſſet*. Si brevitatem abhorrentem ab omni verbo, quod non ſit penitus neceſſarium, quæſiſſet: quid iis tot membris conciſis erat opus? Nonne ſatis fuiſſet horam diei, qua ſe Milo in viam dederat, indicare? Quod ſi nihil dixiſſet præter illud poſtremum: profectum eſſe Milonem, quum jam Clodius Romæ eſſe potuiſſet; tamen res tota videbatur ſatis explicata. Verum quis non videt, nihil horum ei brevitati obeſſe, quæ, quemadmodum oportet in narratione, debet eſſe & feſtiva, & concinna, & venuſta? Eſt etiam probabilius quod narratur, quum, quemadmodum actum ſit, exponitur; & multo apertius fit ad intelligendum. Adde illud, quod in cauſſa erat inſinuandum, ad rejiciendam omnem inſidiarum ſuſpicionem; & videbis nihil eſſe in tota narratione ſupervacanei.

Nam id certe vel in primis requiritur in narratione, ut ſit probabilis. Erit autem, ſi in ea videbuntur ineſſe ea, quæ ſolent apparere in veritate; ſi perſonarum dignitates ſervabuntur; ſi cauſſæ factorum exſtabunt; ſi fuiſſe facultates faciundi videbuntur; ſi tempus idoneum, ſi ſpatii ſatis, ſi locus opportunus ad eamdem rem, qua de re narrabitur, fuiſſe oſtendetur; ſi res & ad eorum, qui agent, naturam, & ad vulgi rumorem, & ad eorum, qui audiunt, opinionem accommodabitur. Si demum in ipſa narratione nexa erunt omnia, ut dicentis conſtantia, & orationis veritas, & fides appareat; ſi probitas etiam dicentis, & animus nihil ſive odio,

ſive invidia commotus verbis ipſis ſe ſe oſtendat: ac demum ſi minuta quædam identidem rei veſtigia in iis, quæ permagni interſunt, perſequemur, ut res ipſa ſubjiciatur. Hæc, quæ fere ex Cicerone ſumpta ſunt omnia, videntur hujuſmodi, ut non tam præcepta poſſint exiſtimari, quam ejus narrationum commentarii. Unam perpende pro Milone, & in illam omnia quadrare reperies.

Aperta erit narratio, ſeu dilucida, & perſpicua, ſi rerum, ac temporum ordo ſervabitur, & ita res narrabuntur, uti geſtæ erunt, aut ut potuiſſe geri videbuntur. Ubi conſiderandum erit, nequid perturbate, nequid contorte dicatur; nequid, quod ad rem pertineat, prætereatur; & omnino, quæ præcepta de brevitate ſunt, hoc quoque in genere ſunt conſervanda. Nam ſæpe res parum eſt intellecta longitudine magis, quam obſcuritate narrationis. Huc redit, quod ab initio indicavimus, nempe quotidiano prope ſermone texendam eſſe narrationem, verbis nimirum uſitatis. Etſi vero reliquæ etiam orationis partes debeant eſſe apertæ, & perſpicuæ: hoc tamen magis in narratione elaborandum eſt; quod & difficilius eſt non eſſe obſcurum in re narranda, quam aut in principio, aut in argumento, aut in purgando, aut in perorando; & majore periculo hæc pars orationis obſcura eſt, quam ceteræ; vel quia, ſi quo alio in loco eſt dictum quid obſcurius, tantum id perit, quod ita dictum eſt: narratio obſcura totam obcæcat orationem: vel quod alia poſſis, ſemel ſi obſcurius dixeris, dicere alio loco planius: narrationi unus eſt in cauſſa locus.

Se-

Sequitur ſuavitas, ſeu jucunditas, & feſtivitas quædam, quam habere narratio debet. Habebit autem, ſi diſtincta perſonis ſit, & quum res poſcit, interpuncta ſermonibus. Neque ſane poterit non eſſe feſtiva, & concinna, quæ, uti oportet, & brevis fuerit, & probabilis, & aperta; quæque ita rem ſubjiciat, ut mores eorum, de quibus narramus, ut ſermo, ut vultus omnes exprimantur, ut iis, qui audiunt, tum geri illa, fierique videantur. Hæc quis non videt omnia (ut in eadem perſtemus) in narratione pro Milone? Quid concinnius deſcriptione tum Clodii, tum ejuſdem Milonis? quid mirabilius expoſitione conflictus, ſive pugnæ inter utramque partem? Quid illa inexſpectata ratio concluſionis? *Fecerunt id ſervi Milonis, quod ſuos quiſque ſervos in tali re facere voluiſſet.*

Illud præterea conſiderare oportet, quando utendum ſit, aut non ſit narratione, quod eſt conſilii. Neque enim, ſi nota res eſt, nec dubium, quid geſtum ſit, narrari oportet. Nec, quum ab adverſariis res ita expoſita eſt, ut nulla ex parte refellenda ſit, tum noſtra intereſt iterum, aut alio modo narrare. Multo minus tum eſt narrandum, quum obſit narratio. Tum vero obeſt, quum ipſius rei geſtæ expoſitio magnam efficit offenſionem, quam argumentando, & cauſſam agendo leniri oportebit. Quod quum acciderit, membratim oportebit partes rei geſtæ diſpergere in cauſſam, & ad unamquamque confeſtim rationem accommodare, ut vulneri præſto medicamentum ſit, & odium ſtatim defenſio mitiget. Nam ad ſummam totius cauſſæ pertinet, caute, an contra, demonſtrata in narratio-

ratione res ſit; quod omnis orationis reliquæ fons ſit narratio.

In cauſſis præſertim judicialibus narrationes adhiberi, & exemplis conſtat Ciceronis, & ratione. Nam quum fere ex facti ratione pendeat tota vel accuſatio, vel defenſio; nemo non videt, ejuſdem facti expoſitione niti argumenta omnia, quibus vel reum defendimus, vel accuſamus. Sed neque in his ſemper uſu venit narratio, uti demonſtratum eſt. In cauſſis deliberativi generis tum locum habet, quum de re eſt deliberandum maximi momenti, vel ejuſmodi, ut deliberatio magna ex parte habitura ſit pondus, & firmamentum in alterutram partem ex narratione, qua quo in ſtatu, & quo in loco ſit res aliqua ſive publica, ſive privata, planum fiat. Demonſtrativum genus multum ſolet eſſe in narrationibus, ſed in iis, de quibus egimus poſt locos, non in iis, de quibus modo ſermo eſt.

Fere poſt exordium ſuam habet ſedem narratio. At ſi qua opinio, ſi quis error mentes judicum, ſive auditorum jam pervaſerit, qui obeſſe narrationi poſſit, quique impedimento ſit, ne illo referantur narranda, quo oportet; tum expedit, quæ officiunt, antea diluere opportuna reprehenſione, ſive confutatione, quod licet in Miloniana animadvertere.

Præparatio aliqua, ſive præmunitio ſolet præmitti narrationi: aditus certe aliquis opportunus debet inveniri, qui auditores præparet ad audiendum; neque id ullo artificio debet occultari; ſed aperte potius explicari, ut, quam partem inituri ſimus, cognoſcant auditores. Nam ad-

admoniti huc animos, menteſque intendunt; quum optime ſciant, hinc judicium omne duci oportere. Cicero pro Quintio ſic ad narrationem tranſit. *Id quo facilius facere poſſitis, dabo operam, ut a principio res, quemadmodum geſta, & contracta ſit, cognoſcatis*. In deliberativo autem genere ita ſtatim ab exordio fertur ad narrationem pro Lege Manilia. *Atque ut inde oratio mea proficiſcatur unde hæc omnis cauſſa ducitur: bellum grave, & periculoſum veſtris vectigalibus, atque ſociis a duobus potentiſſimis Regibus infertur, Mithridate, & Tigrane*.

I. *de Invent.* XIX. XX. XXI. II. *de Orat.* LIX. LXXX. LXXXI. *Orat.* XXXVI. *Part.* IX.

De Confirmatione.

CAP. VIII.

C*Onfirmatio eſt, per quam argumentando noſtræ cauſſæ fidem, auctoritatem, & firmamentum adjungit oratio*. Hujus partis certa ſunt præcepta, quæ in ſingula cauſſarum genera dividentur. Huc tamen ea revocabimus, quæ ſunt magis communia.

Ac primum veſtibula ſunt quædam honeſta, & illuſtres ad cauſſam aditus faciendi. Quod non modo de Principiis intelligendum eſt, verum etiam de tranſitione ipſa, & de ingreſſu in confirmationem. Quæ quum argumentis, ut conſtat, & argumentationibus fidem facere debeat, expeditior nunc quidem tota erit nobis

hæc

hæc pars; poſtquam de inventione argumentorum, tum de iis, & argumentationibus jam diximus.

In tota autem confirmatione illud eſt diligentiſſime animadvertendum, ut non omni copia argumentorum imprudenter utamur; ſed omnia expendamus, & ſeligamus. Non enim ſemper, nec in omnibus cauſſis ex iiſdem locis eadem argumentorum momenta ſunt. Judicium igitur adhibebit orator: nec inveniet ſolum, quid dicat, ſed etiam ponderabit. Nihil enim eſt feracius ingeniis, præſertim quæ diſciplinis exculta ſunt. Sed ut ſegetes fecundæ, & uberes, non ſolum fruges, verum erbas etiam effundunt inimiciſſimas frugibus; ſic interdum ex illis locis, aut levia quædam, aut cauſſis aliena, aut non utilia gignuntur: quorum ab oratoris judicio delectus magnus adhibebitur. Sed de his jam ſatis, & ſupra.

Jam vero ea quæ invenerimus, quo ordine collocabimus? Quum etiam adhibita in delectu omni diligentia, non tamen omnia poſſint eſſe ejuſdem ponderis argumenta; & aliquando ex inopia levioribus etiam locum facere oporteat; hunc ordinem cenſere cuilibet cauſſæ percommodum debemus, ac ſemper optimum, & probatiſſimum, ut quæ ſunt firmiſſima ſecernamus; ac de iis alia prima collocemus, alia ſervemus in finem ad perorandum. Si qua erunt mediocria, aut etiam leviora (nam vitioſis nuſquam eſſe oportet locum) in mediam turbam, atque in gregem conjiciantur; & ita inculcentur, ut ex aliis jam expoſitis, & adducendis, ſive ex numero ipſo aliquid momenti acquirant.

Nam

Nam ii quidem reprehendendi cenſentur, qui, quæ minime firma ſunt, ea prima collocant. Res enim hoc poſtulat, ut eorum exſpectationi, qui audiunt, quam celerrime occurratur: cui ſi initio ſatisfactum non ſit, multo plus ſit in reliqua cauſſa laborandum. Male enim ſe res habet, quæ non ſtatim, ut dici cœpta eſt, melior fieri videtur. Quæ licet potiſſimum intelligi oporteat in cauſis generis judicialis, vel deliberativi; tamen etiam in laudationibus, & vituperationibus conſervanda ſunt, vel certe ſemper probabuntur.

Quæcunque autem ſint argumenta, quocunque in genere, concludenda ſunt plerumque rebus augendis, vel inflammandis auditoribus, vel impellendis, vel mitigandis, vel erigendis, prout cauſſa poſtulabit. Omnia vero quum ſuperioribus orationis locis, tum maxime extremo ad mentes auditorum permovendas, eoque vocandas, quo nos intendimus, conferenda ſunt. Neque cauſſa videtur eſſe, cur ab his præceptis ea ſecernamus, quæ de ſuaſionibus tradenda ſunt, aut laudationibus. Finis enim orationis debet idem ſemper eſſe generatim, perſuadere nempe dicendo; licet varia id ratione pro varietate cauſſæ curare, & præſtare debeamus.

I. *de Inv.* XXIV. *Orat.* XV. II. *de Or.* LXXVI., *& ſeq.*

De ratione variandæ Confirmationis.

CAP. IX.

QUoniam argumentando confirmationem perficimus; idcirco intelligitis confirmationis va-

varietatem in tractandis, exponendiſque argumentationibus eſſe quærendam. Etſi enim ſæpe contingit, ut una ratiocinatione tota confirmatio contineatur, ut in Oratione pro Lege Manilia, in qua tota nititur deliberatio hac ratiocinatione: Ille Imperator eſt ſummus, atque ideo ad id bellum deligendus, qui præſtat ſcientia rei militaris, virtute, auctoritate, felicitate: Præſtat his omnibus Pompejus: ergo & ſummus imperator eſt, & ad id bellum deligendus: ſi tamen omnem partem diligenter evolvetis, reperietis profecto, Aſſumptionem pluribus aliis niti ratiocinationibus, eamque totam ſumma varietate tractari. Ipſa etiam tota Milonis defenſio, nonne una ratiocinatione probatur? Licet vim vi repellere, & inſidiatorem occidere. Vim Clodius intentavit, inſidias fecit: ergo licuit Miloni vim a Clodio ſibi illatam repellere, & Clodium inſidiatorem occidere. Sed hæc ratiocinatio, quot aliis argumentis, & argumentationibus comprobatur? Propoſitio quidem in confutatione ſtatuitur. Aſſumptio in contentione omni copia, & vi, & varietate, & permotione animorum demonſtratur, ac ſuadetur.

Variare quidem orationem magnopere oportebit. Nam omnibus in rebus ſimilitudo eſt ſatietatis mater. Id fieri poterit, ſi non ſimiliter ſemper ingrediamur in argumentationem. Nam primum omnium generibus ipſis diſtinguere convenit orationem, hoc eſt tum inductione uti, tum ratiocinatione, nec iſta ſemper quinquepartita, ſed modo quadripartita, modo tripartita. Vitabimus etiam ſimilitudinem, non ſemper a propoſito ordientes; & ſi non omnia confirmando

do diſputavimus; breviterque interdum, quæ erunt ſatis aperta ponemus; quodque ex his efficietur, ſi id apertum ſit, non habebimus neceſſe ſemper concludere. Hinc licebit aliquando ab aſſumptione incipere, vel ab approbatione alterutra, vel utraque; ac tum hoc, tum illo genere complexionis uti.

Nam ipſa complexio quatuor modis variari poteſt; ac primo ex conductionibus, ſi in unum conducamus propoſitionem, & aſſumptionem; hoc modo: *Quare videte num dubitandum vobis ſit, omni ſtudio ad id bellum incumbere, in quo gloria nominis veſtri, ſalus ſociorum, vectigalia maxima, fortunæ plurimorum civium cum republica defendantur.* Altero modo ita complexio fit, ut ex contrario ſententia conficiatur, ſic: *Summa igitur amentia eſt, in eorum fide ſpem habere, quorum perfidia toties deceptus ſis.* Tertio modo non id quod ſuapte natura conficitur, ſed, quod conſequens eſt, colligitur: ita Cicero pro domo ſua, quum concludere deberet, ergo pro populi R. ſalute Pompejo demandanda fuit rei frumentariæ cura; hujus complexionis loco id ponit, quod erat conſequens. *Nihil dico amplius, hoc, quod ſatis eſt huic tempori, dico, remp. annonæ nomine in id diſcrimen, quo vocabatur, non eſſe venturam.* Quartus eſt modus, quum id, quod conficitur argumentatione, ſubjicitur. *Quapropter hoc maneat in cauſſa, judices: non enim dubito, quin probaturus ſim vobis defenſionem meam, ſi id memineritis, quod oblivisci non poteſtis; inſidiatorem jure interfici poſſe.*

In longis autem argumentationibus ex conductio-

ctionibus, aut ex contrario compleƈti oportet: in brevibus id ſolum, quod conficitur, exponere: in iis, in quibus exitus perſpicuus eſt, conſecutione uti. Nihil tamen frequentius in orationibus Ciceronis invenietis complexionibus per conductiones ad vim quamdam inſtructis. Quin etiam ſæpe videbitis plures modos in una complexione permiſceri. Id poteritis animadvertere in oratione pro domo ſua. nam ubi ex vi argumentationis concludere debebat. Ergo mihi licuit ſententiam dicere de Pompejo extra ordinem rei frumentariæ præficiendo: hunc modum relinquit, & ejus loco affert complexionem ex conductionibus ſimul, & ex contrario, & ex conſequenti, his verbis. *An de peſte civis, quemadmodum omnes jam dii, atque homines judicarunt, conſervatoris reipublicæ; quemadmodum autem tuteipſe confiteris, non modo indemnati, ſed ne accuſati quidem, licuit tibi ferre, non legem, ſed nefarium privilegium, lugente ſenatu, mœrentibus bonis omnibus, totius Italiæ precibus repudiatis, oppreſſa, captaque republica: mihi, populo R. implorante, ſenatu poſcente, temporibus reip. flagitantibus, non licuit de ſalute populi R. ſententiam dicere?* Quum vero vel affirmando, vel negando, vel interrogando neceſſe ſit concludere; Cicero ſæpius interrogatione ſolet uti in complexionibus. quod ad inſtandum, ac permovendum ita fiant acriores. Pro Sextio: *Utra igitur cauſſa popularis debet videri? in qua omnes honeſtates civitatis, omnes ætates, omnes ordines una conſentiunt? an in qua furiæ concitatæ, tamquam ad funus reip., convolant?*

Va-

Variari poſſunt præterea argumentationes generibus ipſis exornationum. Quamvis vero huc omnia traduci poſſint ſententiarum ornamenta; quatuor tamen potiſſimum modi enumerantur, qui hanc efficiunt jucundam varietatem. Ac primus eſt interrogandi noſmetipſos; alter adverſarios, vel auditores percunctandi; tertius imperandi; quartus optandi. His enim rationibus diverſis inire poſſumus cum illuſtri diſtinctione partes ipſas argumentationum. Interrogando, ut pro Lege Manilia. *Quis igitur hoc homine ſcientior aut fuit, aut eſſe debuit?* Quod ſi vultis hic intelligi eam exornationem, qua nos ipſos interrogamus, ac nobis ipſis reſpondemus, quæ etiam ſubjectio dicitur, occurrent exempla non pauca legenti Ciceronem. Talis eſt pro Sex. Roſcio. *Patrem occidit Sex. Roſcius. Qui homo? Adoleſcentulus corruptus, & ab hominibus nequam inductus? annos natus magis quadraginta.* Percunctando adverſarios, ut in divinatione: *Utrum, Q. Cæcili, hoc dices, me non Siculorum rogatu ad cauſſam accedere; an optimorum, fideliſſimorumque ſociorum voluntatem apud hos gravem eſſe non oportere?* & in eadem. *Tu Q. Cæcili, quid potes? quo tempore, aut qua in re, non modo ſpecimen ceteris aliquod dediſti, ſed tute tui periculum feciſti?* ac rurſum. *Tu Cæcili, quid facies? utrum hoc tantum crimen prætermittes? an objicies?* Imperando, ut pro Lege Manilia. *Age vero ceteris in rebus quali ſit temperantia conſiderate.* Pro Sulla. *Itaque attende jam, Torquate, quam ego defugiam auctoritatem conſulatus mei. maxima voce, ut omnes exaudire poſſint, dico, ſemperque dicam:*

Adeſtote omnes animis, qui adeſtis corporibus, quorum ego frequentia magnopere lætor: erigite mentes, aureſque veſtras, & me de invidioſis rebus, ut ille putat, dicentem attendite. Optando laudes ingreditur Pompeji. *Utinam, Quirites, virorum fortium, atque innocentium copiam tantam haberitis, ut hæc vobis deliberatio difficilis eſſet.* Pro C. Rabirio Perduellionis reo. *Quod utinam, Quirites, ego id aut primus, aut ſolus ex hac urbe ſuſtuliſſem: utinam quod ille crimen eſſe vult, proprium teſtimonium meæ laudis eſſet.* & infra. *Utinam hanc mihi facultatem cauſſa concederet, ut poſſem hoc prædicare, C. Rabirii manu L. Saturninum hoſtem populi R. interfectum.*

Illud moneo, in tractatione variam quidem eſſe debere omnem orationem, ne aut cognoſcat artem, qui audiat, aut defatigetur ſimilitudinis ſatietate; ſed tum initio confirmationis, tum, quum in aliam partem, aliamve argumentationem tranſimus, niſi eodem omnia referantur, proponi oportere, quid nos velimus, ac ſentiamus; deinde id quare ita ſit oſtendere: & ex iiſdem illis locis interdum concludere, relinquere alias, alioque tranſire. Aliquando tamen juvabit non proponere, ac ratione ipſa afferenda, quid proponendum fuerit, declarare. Ita etiam res agenda, ut plerumque puncta argumentorum occulas, ne quis ea numerare poſſit, ut re diſtinguantur, verbis confuſa eſſe videantur.

I. *de Invent.* XL. & *ſeq. Part.* XIII. II. *Oratio* XLI.

De

De Confutatione, ſeu reprehenſione.

CAP. X.

QUæ ad faciendam fidem pertinent, ea in confirmationem, & reprehenſionem dividuntur. nam in confirmando noſtra probare volumus, in reprehendendo redarguere contraria. Quum igitur neque reprehendi, quæ contra dicuntur, poſſint, niſi tua confirmes: neque hæc confirmari, niſi illa reprehendas; idcirco hæc & natura, & utilitate, & tractatione conjuncta ſunt. Unde poſtquam egimus de confirmatione, res ipſa poſtulat, ut de reprehenſione dicamus. Hoc reprehenſionis nomine paſſim hæc pars vocatur a Cicerone ſuis in præceptionibus; ſed nihil obſtat, quominus etiam confutationem, ſeu refutationem, verbo licet minus uſitato, appellemus, ut aurium aſſuetudini ſerviamus.

Confutatio eſt, per quam argumentando adverſariorum confirmatio diluitur, aut infirmatur, aut allevatur. Neque dubium, quin hæc in omni cauſſarum genere locum habeat. Nam in judiciis quidem primas obtinet; quum tota defenſio in criminis depulſione conſiſtat; accuſatio vero poſt criminationem, omnem debeat defenſionis aditum præcludere. Sed quis inficiabitur in ſuaſionibus etiam, ac diſuaſionibus ſæpiſſime requiri, ut ea, quæ obſtant oratoris ſententiæ, diligentiſſime refellantur? Neque aliter in laudationibus, aut vituperationibus, ſi quid laudes obſcurare, vel imminuere poteſt, aut probra

diluere, & extenuare, id reprehendi, ac refelli oportet. Verum non eadem ratione poſſunt omnia reprehendi.

Itaque totum eſt negandum, quod in argumentatione adverſarius ſumpſerit, ſi fictum, aut falſum eſſe poſſis dicere. Tum enim argumento reſiſtendum eſt, aut iis, quæ comprobandi ejus cauſſa ſumuntur, reprehendendis, aut demonſtrando, id, quod concludere illi velint, non effici ex propoſitis, nec eſſe conſequens. Quod ſi ita refellere non poſſimus, afferendum eſt in contrariam partem, quod ſit aut gravius, aut æque grave. Sæpe redarguenda ſunt ea, quæ pro veriſimilibus ſumpta ſunt, oſtendendo, dubia pro certis ſumpta eſſe; deinde etiam in perſpicue falſis eadem poſſe dici. Conquerenda aliquando conditio communis periculi, ſi ingenio hominum criminoſorum ſit expoſita vita innocentium. In hac parte ſuavis ſæpe eſt, & vehementer utilis jocus, & facetiæ. De quibus tamen nihil arte tradi poſſe ſentiunt omnes artis dicendi peritiſſimi.

Si requiras, quem locum in oratione confutatio habere debeat, plane reſpondeo, tum eſſe refellenda argumenta contraria, quum obeſſe noſtræ poſſunt cauſſæ. Quare ſi reſpondemus, tum, propoſita noſtra opinione, antequam hanc confirmemus, neceſſe eſt evellere ex mentibus auditorum, quæ jam adverſarii oratione invexerunt. Qui enim diu enim audiunt rationibus adverſariorum occupati, nimis difficile aliis rationibus in contrariam ſententiam moventur. Si nos occupamus, quæ ſive auditores, ſive adverſarii opponere nobis poſſent; tum ea ſunt

re-

refellenda, quum credibile eſt in cujuſquam mentem venire poſſe.

Ordo, quo convenit argumenta adverſariorum diluere, ac refutare, jam patet ex dictis. Nam ſi in noſtra confirmatione opus eſt firmiſſimis argumentis incipere, & perorare, ut quæ prius impellunt animum, & quæ hærent poſtrema, ſint efficaciſſima; contraria ratione omnes vident, infirmiora argumenta adverſariorum partim initio eſſe refutanda, partim in locum extremum reſervanda.

Neque hic eſt neceſſe de locis, unde argumenta reprehenſionis ſumantur, aliquid præcipere: quibus enim ex locis aliqua res confirmari poteſt, iiſdem poteſt ex locis infirmari. Si enim exempli cauſſa rei definitione ab adverſario peccatum ſit; & illam reprehendere oportebit, & contra veram, & rectam afferre. Sed hæc in preceptis facilia, in uſu non æque. Ut autem præceptionum moleſtiam exemplo relevemus; perpendite illud pro Sextio. qui reus eo nomine in judicium vocabatur, quod magnam armatorum hominum vim collegiſſet, iiſque ſtipatus in forum veniſſet. Id quum inficiari non poſſet Cicero, videte qua ratione excuſet, & defendat, quod ſui defendendi cauſſa id fecerit, non ad ea ſcelera nefaria perpetranda, quæ dum a Sextio removet, Clodianis exprobrat adverſariis.

Homines, inquit, emiſti, coegiſti, paraſti. Quid uti faceret? Senatum obſideret? Cives indemnatos expelleret? bona diriperet? ædes incenderet? tecta diſturbaret? templa Deorum immortalium inflammaret? tribunos plebis ferro e roſtris ex-

pelleret? provincias quas vellet, quibus vellet venderet? reges appellaret? rerum capitalium condemnatus in liberas civitates per legatos noſtros reduceret? principem civitatis ferro obſeſſum teneret? Hæc ut efficere poſſet, quæ fieri niſi armis oppreſſa rep. nullo modo poterant; idcirco, credo, manum ſibi P. Sextius, & copias comparavit. At nondum erat maturum ... Sed quam longe progreditur in hanc adverſariorum reprehenſionem? Deinde Milonis exemplo, quem accuſator laudabat, Sextium purgat. Nam de Milone poſt alia præclara, ſequitur: *Qui mihi unus ex omnibus civibus videtur re docuiſſe, non verbis, quid oporteret a præſtantiſſimis viris in rep. fieri, & quid neceſſe eſſet; oportere hominum audacium, everſorum reipublicæ ſceleri legibus, & judiciis reſiſtere: ſi leges non valerent, judicia non eſſent, ſi reſp. vi; conſenſuque audacium, armis oppreſſa teneretur; præſidio, & copiis defendi vitam, & libertatem neceſſe eſſe. Hoc ſentire prudentiæ eſt; facere fortitudinis; & ſentire vero, & facere perfectæ, cumulatæque virtutis.* Hæc in Milone oſtendit: tum de Sextio concludit: *Eademque ratio fuit P. Sextii, ſi minus in accuſando (neque enim per omnes fuit idem neceſſe fieri) at certe in neceſſitate defendendæ ſalutis ſuæ, præſidioque contra vim, & manum comparando.* Hinc ſequitur graviſſima illa conqueſtio, quam ſupra indicavimus in reprehenſionibus ſæpe uſuvenire. *O Dii immortales, quemnam oſtenditis exitum nobis? quam ſpem reip. datis? Quotus quiſque invenietur tanta virtute vir, qui optimam quamque cauſſam reip. amplectatur, qui bonis viris de-*

deſerviat? qui ſolidam laudem, veramque quæ-rat?

Præcepta v. *in Part.* IX. & XII I. *de Invent.* XLII. II. *de Orat.* LIII. & LXXXI.

De Digreſſione.

CAP. XI.

DIgreſſionem aliqui inter partes orationis enumerant, alii putant in ſententiarum figuras eſſe deſcribendam. Illud vos ſtatuite, vix hanc in oratione poſſe locum habere. Nam quum hæc digreſſio definiatur: *Alienæ rei, ſed ad utilitatem cauſſæ pertinentis extra ordinem excurrens tractatio*, ut eſt apud Quintilianum cap. III. lib. IV. non ſatis apparet, quam hæc ſibi propriam partem in oratione poſſit vindicare.

Hermagoras hanc partem a cauſſa atque a judicatione ipſa remotam inferri putabat in orationem oportere, quæ aut cujuſquam laudem, aut adverſarii vituperationem contineret, aut in aliud quidquam deduceret, ex quo conficeretur aliquid confirmationis, aut reprehenſionis, non argumentando, ſed augendo per quamdam amplificationem. Verum ſi quis hanc partem putabit orationis, is ſequatur Hermagoram. Nobis quidem non placet hanc partem in numero reponi; quod de cauſſa digredi, niſi per locum communem diſplicet; quo de genere mox dicturi ſumus. laudes autem, & vituperationes

minime ſeparatim tractandæ ſunt; ac ſi opportune inducuntur, debent eſſe in ipſis argumentationibus implicitæ. Amplificatio vero, ſi ad confirmandum pertinet, qui poteſt eſſe a cauſſa vel remota, vel diſiuncta?

Videntur quidem excellentes oratores aliquando nonnihil ab ipſa cauſſa declinare, ſed ſi perpendamus, quo illa ipſa longius petita pertineant, intelligimus, ad confirmationem ipſam ſpectare, atque ad ipſam momentum aliquod afferre. Occurrunt multa, quæ hac ratione interpretemur in Verrinis. In quibus animadvertere licet, quemadmodum aliqua præmunitione utatur Cicero ad animos auditorum erigendos, parandoſque. De Siculorum religione poſtquam jam multa dixerat, adhuc plura dicturus erat lib. IV. Act. II.; ſed perſpicite, qua ratione, & ſibi aditum aperiat, & oſtendat antea, quo dicenda pertineat. *Ad ea autem, quæ dicturus ſum, reficite vos, quæſo, judices, per Deos immortales, per eos ipſos, de quorum religione jam diu dicimus, dum id ejus facinus commemoro, & profero, quo provincia tota commota eſt. de quo ſi paullo altius ordiri, ac repetere memoriam religionis videbor, ignoſcite. rei magnitudo me breviter perſtringere atrocitatem criminis non ſinit.*

Alia tamen digreſſio eſt, quæ in oratione valet plurimum, qua digredimur aliquando ab eo, quod propoſuimus, atque agimus, permovendorum animorum cauſſa. Hæc autem naſcitur ex re ipſa, & adeo utilis eſt, ut ad flectendos ipſos auditores, quo volumus, nihil poſſit eſſe utilius. Nam licet in peroratione ſit proprius

hujus-

hujus amplificationis locus; tamen ægre id aſſequemur in exitu orationis, niſi jam fuerint animi aliqua ratione vel impulſi, vel inclinati in id, quod intendimus.

Itaque vel narratione expoſita ſæpe datur ad commovendos animos digrediendi locus; vel argumentis noſtris confirmatis, vel contrariis refutatis, vel utroque loco, vel omnibus, ſi habet eam cauſſa dignitatem, atque copiam, recte id fieri poteſt: eæque cauſſæ ſunt ad agendum, & ad ornandum graviſſimæ, atque pleniſſimæ, quæ plurimos exitus dant ad ejuſmodi digreſſionem.

Poſt narrationem ita digreditur Tullius pro Sex Roſcio. *Quid primum querar, aut unde potiſſimum, judices, ordiar? aut quod, aut a quibus auxilium petam? Deorumne immortalium? populine Romani? veſtramne, qui ſummam poteſtatem habetis, hoc tempore fidem implorem?* Ita invenietis pro A. Cluentio. *O mulieris ſcelus incredibile!* & quæ ſequuntur.

Paſſim vero in ejuſmodi digreſſiones per totam cauſſam erumpere Ciceronem nemo ignorat, qui ejus legerit orationes.

Quam ſunt illa miſerabilia pro rege Dejotaro! *Vos veſtra ſecunda fortuna, Caſtor, non poteſtis ſine propinquorum calamitate eſſe contenti. Sint ſane inimicitiæ, quæ eſſe non debebant. rex enim Dejotarus veſtram familiam abjectam, & obſcuram e tenebris in lucem evocavit. quis tuum patrem ante, qui eſſet, quam cujus gener eſſet, audivit? Sed quamvis ingrate, & impie neceſſitudinis nomen repudiaveritis, tamen inimicitias hominum more gerere poteratis; non fi-*

ĉto crimine inſectari, non expetere vitam, non capitis arceſſere. Eſto: concedatur hæc quoque acerbitatis, & odii magnitudo: adeone, ut etiam omnia vitæ, ſalutiſque communis, atque etiam humanitatis jura violentur? Servum ſollicitare verbis: ſpe, promiſſiſque corrumpere: adducere domum, contra dominum armare: hoc eſt non uni propinquo, ſed omnibus familiis bellum nefarium indicere. nam iſta corruptela ſervi ſi non modo impunita fuerit, ſed etiam a tanta auctoritate approbata, nulli parietes noſtram ſalutem, nullæ leges, nulla jura cuſtodient. Sed longius rapitur Cicero, ut Cæſarem in tam perfidum accuſatorem odio inflammet, & ad miſericordiam erga Dejotarum inflectat.

Si digreſſiones hujuſmodi laudantur in curſu orationis, multo magis in exordiis. Unde in his etiam ſæpiſſime inveniuntur: quod juvabit cognoſcere, ut magis conſtet, non eſſe inter partes orationis recenſendam hanc digreſſionem. Ne longius vagemur: in primis duabus orationibus, quæ exſtant Ciceronis, id poſſumus perſpicere. Pro Quinctio ſunt illa in exordio. *Nam quid hoc iniquius, aut indignius, C. Aquilli, dici, aut commemorari poteſt, quam me, qui caput alterius, famam, fortunaſque defendam, priore loco cauſſam dicere, quum præſertim Q. Hortenſius, qui hoc judicio partes accuſatoris obtinet, contra me ſit dicturus, cui ſummam copiam, facultatemque dicendi natura largita eſt? Ita fit, ut ego, qui tela depellere, & vulneribus mederi debeam, tum id facere cogar, quum etiam telum adverſarius nullum jecerit: illis autem id tempus impugnandi detur, quum*

&

& vitandi illorum impetus poteſtas adempta nobis erit; & ſi qua in re, id quod parati ſunt facere, falſum crimen, quaſi venenatum aliquod telum, jecerint, medicinæ faciendæ locus non erit.

Non ſemel pro Sex. Roſcio ante Narrationem his utitur digreſſionibus ad commovendum. *His de rebus tantis, tamque atrocibus, neque ſatis me commode dicere, neque ſatis graviter conqueri, neque ſatis libere vociferari poſſe intelligo. Nam commoditati ingenium, gravitati ætas, libertati tempora ſunt impedimento.* Nec multo poſt: *Qua vociferatione in ceteris judiciis accuſatores uti conſueverunt, ea nos hoc tempore utimur, qui cauſſam dicimus. Petimus abs te, M. Fanni, a vobiſque, judices, ut quam acerrime maleficia vindicetis: ut quam fortiſſime hominibus audaciſſimis reſiſtatis; ut hoc cogitetis, niſi in hac cauſſa, qui veſter animus ſit, oſtendetis, eo prorumpere hominum cupiditatem, & ſcelus, & audaciam, ut non modo clam, verum etiam hic in foro, ante tribunal tuum, M. Fanni, ante pedes veſtros, judices, inter ipſa ſubſellia cædes futuræ ſint.* Eo autem rem deducit, ut oſtendat, nihil aliud eo judicio tentari, niſi ut id fieri liceret.

I. *de Invent.* LI. -- II. *de Orat.* LXXVII.

De

De Peroratione.

CAP. XII.

P*Eroratio, quæ etiam concluſio dicitur, & epilogus, eſt exitus, & determinatio totius orationis.* Diviſa autem eſt in partes duas, enumerationem, & amplificationem.

Enumeratio eſt, per quam res diſperſe, & diffuſe dictæ unum in locum, poſtremum ſcilicet, coguntur. Hæc enumeratio non ſemper neceſſaria eſt. Sed ut cognoſcamus, quando enumeratio ſit adhibenda, ejus tempora prius cognoſcere neceſſe eſt. Sunt autem duo: ſi aut memoriæ diffidamus eorum, apud quos agamus, vel intervallo temporis, vel longitudine orationis, aut ſi frequentatis in epilogo firmamentis orationis, & breviter expoſitis, vim eſt habitura cauſſa majorem: quod fere uſuvenire experimur. Unde etiam ſingulæ, ac præſertim fuſæ argumentationes ex conductionibus ſolent concludi; quod ea, quæ prius fuſe demonſtrata dubitationem non habent, brevius collecta majorem adhibere vim debent.

Sed erit in enumeratione videndum, ne oſtentatio memoriæ ſuſcepta videatur eſſe puerilis. Id effugiet, qui non omnia minima repetet, eligetque, quæ erunt graviora, & unumquodque breviſſime perſtringet, ut memoria, non oratio renovata eſſe videatur; ſive potius, ut ex novo, & contracto partium nexu, & omnium fere probationum expedito compendio, nova quadam vi ſe ſentiant auditores rapi in eam partem, quam ſibi orator propoſuit. Nam certe

ut

ut enumeratio hujuſmodi ſit utilis, vel colligat partes ſingulas noſtræ partitionis, quum ea uſi ſumus, & ſingulis accommodet breviſſime præcipua momenta argumentorum; vel alia ratione, quæ ſunt validiora percurrat; eo ſemper hanc partem referre debemus, ut ipſa etiam ad motus animorum ſit inſtituta; adeoque iis ſit figuris, ea varietate, & vi tractata, quæ vel jam animos valeat impellere, vel certe præparare ad alteram partem, quæ uti jam diximus, amplificatio eſt.

Amplificatio eſt gravior quædam affirmatio, quæ motu animorum concilict in dicendo fidem. Loquimur hic de amplificatione, quæ maxime admirabilem facit eloquentiam, quam Græci *Patheticam* vocant. Hæc igitur tota ad perturbandos, & concitandos animos, ad ipſos nimirum permovendos, quo vult orator, eſt inſtituta. Quare in hac genus dicendi debet eſſe vehemens, incenſum, incitatum. Hoc enim flectuntur animi: hoc quum rapide fertur, ſuſtineri non poteſt.

Quamvis autem ad hoc genus amplificationis & in ipſo exordio, & in curſu orationis dentur declinationes quædam, ſeu, uti antea diximus, digreſſiones; tamen hic ejus proprius eſt locus; atque hic vires ſuas omnes debet expromere, & adhibere. Nolite autem putare aliis ex locis ſumendam eſſe hanc amplificationem, quam ex iis, e quibus argumenta ſumuntur ad fidem. Sed hic præſertim res omnes augendæ ſunt, atque iis facibus inflammandæ, quæ animos ſtatim afficiant, atq. commoveant.

Plurima a præſtantibus dicendi magiſtris hac de

de re præcepta traduntur, de ratione nimirum affectuum movendorum. De hac nos etiam aliqua trademus, ſumpta præſertim ex Cicerone. Sed antequam ad hæc veniamus, adoleſcentes monemus, quod jam ſæpe; magis nimirum profecturos diligente ipſius Tullii lectione, obſervatione, imitatione, quam fuſiſſimis, & prope infinitis præceptis.

I. *de Invent.* LII. *Part.* XV. XVI. XVII. *Orat.* XXXVII. XXXVIII.

De variis amplificationis, ſive animorum commovendorum locis.

CAP. XIII.

DE argumentis hujus amplificationis jam dixi, ac rurſum confirmo, non aliunde ſumenda eſſe, quam ex locis, e quibus omnis manat dicendi copia. Quum tamen in hac amplificatione ſit præcipuus augendi locus, hic ea videntur eſſe adhibenda, quæ magna habentur, quorum eſt duplex genus. Alia enim magna natura videntur, alia uſu: natura, ut cæleſtia, ut divina, ut ea, quorum obſcuræ cauſſæ, ut ea, quæ in terris, mundoque admirabilia ſunt, ex quibus, ſimilibuſque, ſi attendatis, ad augendum permulta ſuppetunt. Hæc ut cognoſcatis quantum valeant ad amplificandum, plura poteſtis ex Cicerone vobis proponere. Atque in primis quam illa, licet in re vana, eſſe apud populum R. gravia, & magna debebant, quæ ad.

adducit in Catil. III.? *Illud vero nonne ita præſens eſt, ut nutu Jovis Optimi Maximi factum eſſe videatur, ut, quum hodierno die mane per forum meo juſſu & conjurati, & eorum indices in ædem Concordiæ ducerentur, eo ipſo tempore ſignum ſtatueretur? quo collocato, atque ad vos, ſenatumque converſo, omnia & ſenatus, & vos, quæ erant contra ſalutem omnium cogitata, illuſtrata, & patefacta vidiſtis.*

Sed pro Milone quantum religio habet momenti? *Eſt, eſt profecto illa vis; neque in his corporibus, atque in hac imbecillitate noſtra ineſt quiddam, quod vigeat, & ſentiat, & non ineſt in hoc tanto naturæ tam præclaro motu . . . Ea vis, ea eſt igitur, quæ ſæpe incredibiles huic urbi felicitates, atque opes attulit, quæ illam perniciem extinxit, ac ſuſtulit . . . Non eſt humano conſilio, ne mediocri quidem, judices, Deorum immortalium cura res illa perfecta. Religiones mehercule ipſæ, aræque, quum illam belluam cadere viderunt, commoviſſe ſe videntur.* Vos reliqua, quæ longius protrahuntur, legite, & ſublimia, & admirabilia reperietis.

Ego non poſſum illa præterire, quæ habentur in exitu Orationis de Haruſpicum reſponſis, quæ non modo ſunt in hoc genere dicendi præſtantiſſima, ſed etiam facile ex illa ſuperſtitione ad veritatem, & veram religionem traduci poſſunt. *Quod ſi cetera magis pervulgata nos ſæpe, & leviora moverunt: vox ipſa Deorum immortalium non mentes hominum permovebit? nolite enim id putare accidere poſſe, quod in fabulis ſæpe videtis fieri, ut Deus aliquis delapſus de cælo cœtus hominum adeat, verſetur in terris, cum* ho-

hominibus colloquatur. cogitate genus ſonitus ejus, quem Latinienſes nuntiarunt: recordamini illud etiam, quod nondum eſt relatum, quod eodem fere tempore factus in agro Piceno Potentiæ nunciatur terræmotus horribilis, cum quibuſdam multis, metuendiſque rebus. Hæc eadem profecto, quæ futura proſpicimus, impendentia pertimeſcetis. Etenim hæc Deorum immortalium vox, hæc pene oratio judicanda eſt; quum ipſe mundus, quum agri terræ motu quodam novo contremiſcunt, & inuſitato aliquid ſono, incredibilique prædicunt. in quo conſtituendæ nobis quidem ſunt procurationes, & obſecratio, quemadmodum monemur: ſed faciles ſunt preces apud eos, qui ultro nobis viam ſalutis oſtendunt: noſtræ nobis ſunt inter nos iræ, diſcordiæque placandæ.

Uſu habentur magna, quæ videntur hominibus aut prodeſſe, aut obeſſe vehementius, quorum ſunt genera ad amplificandum tria. Nam aut caritate, ſive pietate moventur homines, ut erga Deum, erga patriam, erga parentes; aut amore, ut fratrum, ut conjugum, ut liberorum, ut familiarum; aut honeſtate, ut virtutum, maximeque earum, quæ ad communionem hominum, & liberalitatem valent. Ex iis & cohortationes ſumuntur ad ea retinenda, & in eos, a quibus ea violata ſunt, odia incitantur, & miſeratio naſcitur.

Si exempla requiruntur cohortationum hujuſmodi, ſunt frequentiſſima in Orationibus Ciceronis. Unum tamen in re tam varia ſubjeciſſe erit ſatis, quod legitur in peroratione Philipp. VI. ad Quirites. *Unum ſentitis omnes, unum*

ſtu-

ſtudetis, M. Antonii conatum avertere a republica, furorem extinguere, opprimere audaciam. idem volunt omnes ordines: eodem incumbunt municipia, coloniæ, cuncta Italia. itaque ſenatum bene ſua ſponte firmum, firmiorem veſtra auctoritate feciſtis. Venit tempus, Quirites, ſerius omnino, quam dignum populo R. fuit, ſed tamen ita maturum, ut differri jam hora non poſſit. Fuit aliquis fatalis caſus, ut ita dicam, quem tulimus, quoquo modo ferendus fuit: nunc, ſi quis erit, erit voluntarius. populum R. ſervire fas non eſt, quem Dii immortales omnibus gentibus imperare voluerunt. res in extremum eſt adducta diſcrimen. De libertate decernitur. aut vincatis oportet, Quirites, quod profecto, & pietate veſtra, & tanta concordia conſequemini: aut quidvis potius, quam ſerviatis. aliæ nationes ſervitutem pati poſſunt: populi R. eſt propria libertas.

Proprius locus augendi in his rebus elucet aut amiſſis, aut amittendi periculo. nihil eſt enim tam miſerabile, quam ex beato miſer. Et hoc quidem movet, ſi a bona fortuna quis cadat, & a ſuorum caritate divellatur. quæ autem amittat, aut amiſerit, in quibus malis ſit, futuruſve ſit, exprimatur breviter. Cito enim areſcit lacryma, præſertim in alienis malis. nec quidquam in amplificatione nimis enucleandum eſt. minuta eſt enim omnis diligentia, quæ adhibetur in ſingulis recenſendis. hic autem locus grandia requirit.

Sed antequam exemplum aliquod huc etiam afferamus, juvat percenſere alia plura amplificationis capita, quæ ad duplicem ejus partem

referuntur a Cicerone in libris de Inventione. Sunt autem Indignatio, & Conqueſtio.

Indignatio eſt oratio, per quam conficitur, ut in aliquem hominem magnum odium, aut in rem gravis offenſio concitetur. Nos omnem pie traducamus indignationem ad vitia ipſa, & ſcelera; ac bono ſimus in omnes homines animo. Nihil certe dubitandum, indignationem etiam ex iis locis tractari poſſe, quos in confirmandi præceptis poſuimus. Sed ea, quæ ſeparatim de indignatione hic præcipi poſſunt, conſideremus.-- Primus locus ſumitur ab auctoritate; quum commemoramus quantæ curæ res ea fuerit aut ipſi Deo immortali, aut eis, quorum auctoritas graviſſima debet eſſe. Qui locus ſumetur ab iis, quæ ante commemoravimus de religione: item ex majoribus noſtris, regibus, civitatibus, gentibus, hominibus ſapientiſſimis, ſenatu, populo, legum ſcriptoribus. In Cat. III. de Conjuratis. *Quo etiam majore ſunt iſti odio, ſupplicioque digni, qui non ſolum veſtris domiciliis, atque tectis, ſed etiam Deorum templis, atque delubris ſunt funeſtos, atque nefarios ignes inferre conati: quibus ego ſi me reſtitiſſe dicam, nimium mihi ſumam, & non ſim ferendus. ille, ille Jupiter reſtitit, ille Capitolium, ille hæc templa, ille hanc urbem, ille vos omnes ſalvos eſſe voluit; Diis ego immortalibus ducibus hanc mentem, Quirites, voluntatemque ſuſcepi, atque ad hæc tanta indicia perveni.* Sed video, quam longe progredi deberem, ſi ſingulis modis exempla vellem adjungere. Unde ſatis erit ad finem hujus capitis aliqua adſcribere inſigniora.

Secundus locus eſt, per quem illa res, ad

quos

quos pertineat, cum amplificatione per indignationem, oſtenditur, an ad omnes, an ad majorem partem, quod atrociſſimum eſt; an ad ſuperiores, quales ſunt ii, quorum ex auctoritate indignatio ſumitur, quod indigniſſimum eſt; an ad pares animo, fortuna, corpore, quod iniquiſſimum eſt; an ad inferiores, quod ſuperbiſſimum eſt. Tertius locus eſt, per quem quærimus, quidnam ſit eventurum, ſi idem ceteri faciant: & ſimul oſtendimus, huic ſi conceſſum ſit, multos æmulos ejuſdem audaciæ futuros, ex quo quid mali ſit eventurum, demonſtrabimus. Quot habetis hujuſmodi in una peroratione pro Sex. Roſcio, tum ex hoc loco, tum ex ſuperiore? quot in aliis? ſed pergamus. Quartus locus eſt, per quem demonſtramus multos alacres exſpectare, quid ſtatuatur, ut ex eo, quod uni conceſſum ſit, ſibi quoque tali de re quid liceat, intelligere poſſint.

Quinctus locus eſt, per quem oſtendimus, ceteras res perperam conſtitutas, intellecta veritate commutatas corrigi poſſe; hanc eſſe rem, quæ ſi ſit ſemel judicata, neque alio commutari judicio, neque ulla poteſtate corrigi poſſit. Sextus eſt, per quem conſulto, & de induſtria factum eſſe demonſtratur, & illud adjungitur, voluntario maleficio veniam dari non oportere; imprudentiæ concedi nonnumquam convenire. Septimus, per quem indignamur, quod tetrum, crudele, nefarium, tyrannicum factum eſſe dicamus, per vim, per manum opulentam, quæ res ab legibus, ab æquabili jure remotiſſima ſit.

Octavus locus eſt, per quem demonſtramus,

 non

non vulgare, neque factitatum eſſe, ne ab audaciſſimis quidem hominibus id maleficium, de quo agitur, id a feris quoque hominibus, & immanibus beſtiis remotum eſſe. Hæc erunt, quæ ſupra commemoravimus, quæ in parentes, liberos, conjuges, conſanguineos, ſupplices crudeliter facta dicentur: & deinceps ſi qua proferantur in majores natu, in hoſpites, in vicinos, in amicos, in eos, quibuſcum vitam egeris; in eos apud quos educatus ſis; in eos, a quibus eruditus; in mortuos, in miſeros, in miſericordia dignos, in homines claros, nobiles, & honore uſos; in eos, qui neque lædere alium, nec ſe defendere potuerunt, ut in pueros, ſenes, mulieres, quibus omnibus acriter excitata indignatio, ſummum in eum, qui violarit horum aliquid, odium commovere poterit. Nonus eſt, per quem cum aliis, quæ conſtant eſſe peccata, hoc, quo de quæſtio eſt, comparatur, & ita per contentionem, quanto atrocius, & indignius ſit illud, de quo agitur, oſtenditur.

Decimus eſt, per quem omnia, quæ in negotio gerendo acta ſunt, quæque poſt negotium conſecuta ſunt, cum uniuſcujuſque indignatione, & criminatione colligimus, & rem verbis quammaxime ante oculos ejus, apud quem dicitur, ponimus; ut id, quod indignum eſt, perinde illi videatur indignum, ac ſi ipſe interfuerit, ac præſens viderit. Undecimus locus eſt, per quem oſtendimus, ab eo factum, a quo minime oportuerit, & a quo, ſi alius faceret, prohiberi conveniret. Duodecimus eſt, per quem indignamur, quod nobis hoc primum acci-

ciderit, quod antea nemini. Tertiuſdecimus locus eſt, ſi cum injuria contumelia juncta demonſtratur; per quem locum in ſuperbiam, & arrogantiam odium concitatur. Quartuſdecimus eſt, per quem petimus ab iis, qui audiunt, ut ad ſuas res noſtras injurias referant: ſi ad pueros pertinebit, de liberis ſuis cogitent, ſi ad mulieres, de uxoribus; ſi ad ſenes, de patribus, aut parentibus. Quinctuſdecimus eſt locus, per quem dicimus, inimicis quoque ea, quæ nobis acciderint, indigna videri ſolere. Et indignatio quidem his fere de locis graviſſime ſumetur. Reſtat modo ut de Conqueſtione ſimili ratione dicatur.

Conqueſtio eſt oratio auditorum miſericordiam captans. In hac primum animum auditoris mitem, & miſericordem efficere oportet, quo facilius conqueſtione commoveri poſſit. Id locis communibus pertentare oportebit, per quos fortunæ vis in omnes, & hominum infirmitas oſtenditur: qua oratione habita graviter, & ſententioſe, maxime demittitur animus hominum, & ad miſericordiam comparatur; quum in alieno malo ſuam infirmitatem conſiderabit. Jam vero ſuos etiam miſericordiæ locos tribuamus.

Primus eſt, per quem, quibus in bonis fuerint, & nunc quibus in malis ſint, ac futuri ſint illi, quorum miſeremur, oſtenditur. -- Secundus, per quem unumquodque deploratur incommodum, ut in morte filii, pueritiæ blandimenta, amor, ſpes, ſolatium, educatio, & ſi qua ſimili in genere, quolibet de incommodo per conqueſtionem dici poterunt. -- Tertius, per

 quem

quem res turpes, abjectæ, & illiberales proferentur, & indignæ ætate, genere, fortuna, priſtino honore, beneficiis, quas paſſi, perpeſſurive ſint.

Quartus, per quem præter ſpem aliquis in miſeriis demonſtratur eſſe; & quum aliquid exſpectaret, non modo id non adeptum eſſe, ſed in ſummas miſerias incidiſſe. Quintus, per quem ad ipſos, qui audiunt, ſimiles caſus convertimus, & petimus, ut de ſuis liberis, aut parentibus, aut aliquo, qui illis carus debeat eſſe, nos quum videant, recordentur. Sextus, per quem aliquid dicimus eſſe factum, quod non oportuerit; aut non factum, quod oportuerit, hoc modo: non affui, non vidi, non poſtremam ejus vocem audivi, non extremum ejus ſpiritum excepi. Item: Inimicorum in manibus mortuus eſt, hoſtili in terra turpiter jacuit inſepultus, a feris diu vexatus, communi quoque honore in morte caruit.

Septimus per quem oratio ad mutas, & expertes animi res refertur: ut ſi ad equum, domum, veſtem, ſermonem alicujus accommodes, quibus animus eorum, qui audiunt, & aliquem dilexerunt, vehementer commovetur. Octavus, per quem aut liberorum, aut parentum, aut ſui corporis ſepeliendi, aut alicujus ſimilis rei commendatio fit. Nonus eſt, per quem cum indignatione conquerimur, quod ab iis, a quibus minime conveniat, male tractemur, propinquis, amicis, quibus benefecerimus, quos adjutores fore putaverimus, aut a quibus indignum eſt, ut ſervis, libertis, clientibus, ſupplicibus.

Decimus eſt, qui per obſecrationem ſumitur, in

in quo orantur illi, qui audiunt, humili, & ſupplici oratione, ut miſereantur. Undecimus, per quem non noſtras, ſed eorum, qui cari nobis eſſe debent, fortunas conqueri nos demonſtramus. Duodecimus eſt, per quem animum noſtrum in alios miſericordem eſſe oſtendimus, & tamen amplum, & excelſum, & patientem incommodorum eſſe, & futurum, ſi quid acciderit, demonſtramus. nam ſæpe virtus, & magnificentia, in qua gravitas, & auctoritas eſt, plus proficit ad miſericordiam commovendam, quam humilitas, & obſecratio.

Nihil dubito, quo minus omnes, vel pleroſque, tum indignationis, tum conqueſtionis enumeratos locos ſit quivis deprehenſurus, qui attente unam vel alteram Ciceronis Orationum perorationem legerit. Nos vix aliquid decerpemus, ne hæc pars, quæ debet eſſe ampliſſima, careat exemplis. Sed primum videte, quemadmodum ſoleat perorando indignatione ſimul uti in adverſarios, & conqueſtione pro reo. Quot, & quanta ad utrumque munus inſtructa reperitis pro Quinctio, in Nævium? *Denique ipſius inimici vultum ſuperbiſſimum ſubiit ipſius Sex. Nævii; lacrymans manum prehendit, in propinquorum bonis proſcribendis exercitatam; obſecravit per fratris ſui mortui cinerem, per nomen propinquitatis, per ipſius conjugem, & liberos, quibus propior P. Quintio nemo eſt; ut aliquando miſericordiam caperet; aliquam, ſi non propinquitatis, at ætatis ſuæ, ſi non hominis, at humanitatis rationem haberet, ut ſecum aliquid integra ſua fama, qualibet, dummodo tolerabili, ratione tranſigeret.*

 Ab

Ab ipſo repudiatus, ab amicis ejus non ſublevatus, ab omni magiſtratu agitatus, atque perterritus, quem præter te appellet, habet neminem: tibi ſe, tibi ſuas opes omnes, fortunaſque commendat, & tibi committit exſtimationem, ac ſpem reliquæ vitæ. Multis vexatus contumeliis, plurimis jactatus injuriis non turpis ad te, ſed miſer confugit: e fundo ornatiſſimo dejectus, ignominiis omnibus appetitus, quum illum in ſuis paternis bonis dominari videret, ipſe filiæ ſuæ nubili dotem conficere non poſſet, nihil alienum tamen vitæ ſuperiore commiſit. Hanc obſecrationem producit ad perorationis exitum.

Ex peroratione pro L. Murena in figuris aliquid retulimus, ad permovendos animos maxime idoneum; nunc ejuſdem initium animadvertite: *Quæ quum ita ſint, judices, primum reip. cauſſa, qua nulla res cuiquam potior debet eſſe, vos pro mea ſumma, & vobis cognita in remp. diligentia moneo, pro auctoritate conſulari hortor, pro magnitudine periculi obteſtor, ut otio, ut paci, ut ſaluti, ut vitæ veſtræ, & ceterorum civium conſulatis. Deinde ego fidem veſtram, vel defenſoris, & amici officio adductus oro, atque obſecro judices, ut ne hominis miſeri, & quum corporis morbo, tum animi dolore confecti, L. Murenæ recentem gratulationem nova lamentatione obruatis. modo maximo beneficio populi R. ornatus, fortunatus videbatur, quod primus in familiam veterem, primus in municipium antiquiſſimum conſulatum attuliſſet: nunc idem ſqualore ſordidus, confectus morbo, lacrymis, ac mœrore perditus, veſter eſt ſupplex, judi-*

judices, veſtram fidem obteſtatur, miſericordiam implorat, veſtram poteſtatem, ac veſtras opes intuetur. Quæ ſequuntur ſunt hoc digna principio. Progrediamur. quam illa miſerabilia, quam tragica pro L. Flacco!

O nox illa, quæ pene æternas huic urbi tenebras attuliſti! quum Galli ad bellum, Catilina ad urbem, conjurati ad ferrum, flammamque vocabantur: quum ego te, Flacce, cœlum, noctemque conteſtans, flens flentem obteſtabar; quum tuæ fidei optimæ, & ſpectatiſſimæ ſalutem urbis, & civium commendabam. Tu, tu Flacce, prætor communis exitii nuncios cœpiſti; tu incluſam in litteris reip. peſtem deprehendiſti; tu periculorum indicia, tu ſalutis auxilia ad me, & ad ſenatum attuliſti. Quæ tibi tum gratiæ ſunt a me actæ? quæ ab ſenatu? quæ a bonis omnibus . . . O nonæ ille decembres, quæ me conſule fuiſtis! quem ego diem vere natalem hujus urbis, aut certe ſalutarem appellare poſſum. O nox illa, quam iſte eſt dies conſecutus, fauſta huic urbi! miſerum me, metuo, ne funeſta nobis . . . Quem hæc, quem quæ ſequuntur non moveant? Sic poſt alia interpoſita ſequitur. *At L. Flaccum quidem, judices, ſi (quod Dii immortales omen avertant) gravis injuria afflixerit; numquam tamen proſpexiſſe veſtræ ſaluti, conſuluiſſe vobis, liberis, conjugibus, fortunis veſtris, pœnitebit. Semper ita ſentiet, talem ſe animum & generis dignitati, & pietati ſuæ, & patriæ debuiſſe. vos ne pœniteat tali civi non peperciſſe, per Deos immortales, judices, providete. quotus enim quiſque eſt, qui hanc in rep. ſectam ſequatur? qui vobis, qui veſtri ſimilibus placere cupiat? qui*

opti-

optimi, atque ampliſſimi cujuſque hominis, atque ordinis auctoritatem magni putet: quum illam viam ſibi videant expeditiorem ad honores, & ad omnia, quæ concupiverunt? Tum poſt alia in judicium adducto parvo Flacci filio, ſic de ipſo: *Qui vos, quoniam eſt id ætatis, ut ſenſum jam percipere poſſit ex mœrore patrio, auxilium nondum patri ferre poſſit; orat ne ſuum luctum patris lacrymis, patris mœrorem ſuo fletu augeatis.. qui etiam me intuetur, me vultu appellat, meam quodammodo flens fidem implorat; ac repetit eam, quam ego patri ſuo quondam pro ſalute patriæ ſpoponderim, dignitatem . . .*

Plura occurrunt novo quodam apparatu, ſed ſimili, pro Sulla amplificata; illud exſcribo, quod ad indignationem in Torquatum accuſatorem pertinet. *Te ipſum jam, Torquate, expletum eſſe hujus miſeriis par erat, & ſi nihil aliud Sullæ, niſi conſulatum abſtuliſſetis, tamen eo vos contentos eſſe oportebat. honoris enim contentio vos ad cauſſam, non inimicitiæ deduxerunt. Sed quum huic omnia cum honore detracta ſint; quum in hac fortuna miſera, ac luctuoſiſſima deſtitutus ſit: quid eſt, quod expetat amplius? Luciſne hanc uſuram eripere vis, plenam lacrymarum, atque mœroris, in qua cum maximo cruciatu, atque dolore retinetur? libenter reddiderit, adempta ignominia fœdiſſimi criminis. An vero inimicum ut expellas? cujus ex miſeriis, ſi eſſes crudeliſſimus, videndo fructum caperes majorem, quam audiendo.* Hinc ſtatim ad commiſerandam Sullæ calamitatem flectit amplificationem. ſed mihi properandum eſt. Nam pro Plancio & omnia, & hæc præſertim ſunt præclariſſima.

O ex-

O excubias tuas, Cn. Planci, miſeras! o flebiles vigilias! o noctes acerbas! o cuſtodiam etiam mei capitis infelicem! ſi quidem ego tibi vivus non proſum, qui fortaſſe mortuus profuiſſem. memini enim, memini, neque unquam obliviſcar noctis illius, quum tibi vigilanti, aſſidenti, mœrenti, vana quædam miſer, atque inania, falſa ſpe inductus, pollicebar: me, ſi eſſem in patriam reſtitutus, præſentem tibi gratiam relaturum: ſin autem vitam mihi ſors ademiſſet, aut vis aliqua major reditum peremiſſet: hos, hos (quos enim ego tum alios animo intuebar?) omnia tibi illorum laborum præmia pro me perſoluturos. Quid me adſpectas? quid mea promiſſa repetis? quid meam fidem imploras? nihil tibi ego tum de meis opibus pollicebar; ſed de horum erga me benevolentia promittebam ... nunc timeo, ne nihil tibi præter lacrymas queam reddere, quas tu in meis acerbitatibus plurimas effudiſti. Quid enim poſſum aliud, niſi mœrere? niſi flere? niſi te cum mea ſalute complecti? ſalutem tibi iidem dare poſſunt, qui mihi reddiderunt. Tamen exſurge quæſo: retinebo, & complectar: nec me ſolum deprecatorem fortunarum tuarum, ſed comitem, ſociumque profitebor. atque, ut ſpero, nemo erit tam crudeli animo, tamque inhumano, nec tam immemor meorum, non dicam in bonos meritorum, ſed bonorum in me, qui a me mei ſervatorem capitis divellat, ac diſtrahat.

Ne prætercam, quæ omnium eſt præſtantiſſima, Milonianam perorationem, incredibile profecto videtur, tot affectibus, tantæ commotionum varietati, ibi locum fuiſſe. Hæc audite,

Quid

Quid jam reſtat? quid habeo, quod dicam, quod faciam pro tuis in me meritis? niſi ut eam fortunam, quæcunque erit tua, ducam meam? . . . His lacrymis non movetur Milo: eſt quodam incredibili robore animi: exilium ibi eſſe putat, ubi virtuti non ſit locus: mortem naturæ finem eſſe, non pœnam. Sit hic ea mente, qua natus eſt: quid vos, judices, quo tandem animo eritis? Memoriam Milonis retinebitis, ipſum ejicietis? . . . Quid reſpondebo liberis meis, qui te parentem alterum putant? Quid tibi, Q. frater, qui nunc abes, conſorti mecum temporum illorum? me non potuiſſe Milonis ſalutem tueri per eoſdem, per quos noſtram ille ſervaſſet? . . . Quodnam concepi tantum ſcelus, aut quod in me tantum facinus admiſi, judices, quum illa indicia communis exitii indagavi, patefeci, protuli, extinxi? omnes in me, meoſque redundant ex illo fonte dolores. Eo hæc perducit, ut jam lacrymis opus eſſet indulgere, unde tandem: *Sed finis ſit: neque enim præ lacrymis jam loqui poſſum, & hic ſe lacrymis defendi vetat . . .* In his veſtigiis deprehendere licet, qua ratione amplificare in peroratione oporteat; qua ratione permovendi ſint animi, & affectus: ac tum doctrina, & fructus erit uberior, ſi hæc ipſa vos incitabunt, ad omnia apud Ciceronem, non mutila, ſed integra recognoſcenda, ac perpendenda.

In Part. XVI. *&* XVII. I. *Invent.* LXI. *uſque in finem.*

Quid

Quid affectus ſint; & qua ratione permovendi.

CAP. XIV.

QUæ diximus capite antecedenti, ſatis videntur declarare, quid eorum affectuum nomine intelligatur, qui ſunt amplificatione incitandi, ac movendi: quum non hic fuſam tractationem de affectibus inducturi ſimus, neque ex morali philoſophia ferat hic locus plura depromere, & diſputare. Nonnulla tamen præcipua tradituri, quæ in commovendis animis ſunt obſervanda, e re ducimus, aliquam affectuum notionem præmittere.

Affectus, ſive affectio eſt incitata quædam animi commotio, ſeu commutatio ex opinione boni, vel mali. Hoc itaque ſit primum, quod hac de re ſtatuamus, natura omnes, quæ bona videntur, ſequi, fugere autem contraria. Hinc partes hujuſmodi affectionum ſunt præcipuæ quatuor. nam duæ ex opinatis bonis naſcuntur, libido, ſeu cupiditas, & lætitia, ut ſit lætitia præſtantium bonorum, libido, ſeu cupiditas futurorum. ex malis autem metus, & ægritudo naſcitur; metus ex futuris, ægritudo ex præſentibus. quæ enim venientia metuuntur, eadem efficiunt ægritudinem inſtantia: lætitia autem, & cupido in bonorum opinione verſantur; quum cupido ad id, quod videtur bonum, illecta, & inflammata rapiatur; lætitia, ut adepta jam aliquid concupitum, efferatur, & geſtiat.

Eſt igitur ægritudo opinio recens mali præſentis, in quo demitti, contrahique animo rectum

eſſe

eſſe videatur. Lætitia opinio recens boni præſentis, in quo efferri rectum eſſe videatur. Metus opinio impendentis mali, quod intolerabile eſſe videatur. Libido, ſeu cupiditas opinio venturi boni, quod ſit ex uſu jam præſens eſſe, atque adeſſe. Quæ autem judicio dicimus, quaſque opiniones perturbationum eſſe diximus, efficiunt illa, quæ perturbationes ipſæ ſignificant. nam ægritudo quaſi morſum aliquem doloris efficit: metus receſſum quemdam animi, & fugam; lætitia profuſam hilaritatem; libido vehementem quamdam appetentiam. Sed ſingulis perturbationibus partes ejuſdem generis plures ſubjiciuntur.

Ad ægritudinem referuntur invidentia, emulatio, miſericordia, angor, luctus, mœror, ærumna, dolor, lamentatio, ſolicitudo, moleſtia, afflictatio, deſperatio, & ſi qua ſunt de genere eodem. Invidentia eſt ægritudo ſuſcepta propter alterius res ſecundas, quæ nihil noceant invidenti. nam, ſi quis doleat ejus rebus ſecundis, a quo ipſe lædatur, non recte dicitur invidere. Æmulatio autem dupliciter ſumi poteſt, ut & in laude, & in vitio nomen hoc ſit. nam & imitatio virtutis æmulatio dicitur; & eſt æmulatio ægritudo, ſi eo, quod concupierit, alter potiatur, ipſe careat. Miſericordia eſt ægritudo ex miſeria alterius injuria laborantis. Angor eſt ægritudo premens. Luctus ægritudo ex ejus, qui carus fuerit, interitu acerbo. Mœror ægritudo flebilis. Ærumna ægritudo laborioſa. Dolor ægritudo crucians. Lamentatio ægritudo cum ejulatu. Solicitudo ægritudo cum cogitatione: Moleſtia ægritudo permanens. Affli-

flictatio ægritudo cum vexatione corporis. Deſperatio ægritudo ſine ulla rerum exſpectatione meliorum.

Sub metu ſubjecta ſunt pigritia, pudor, terror, timor, pavor, exanimatio, conturbatio, formido. Pigritia eſt metus conſequentis laboris. Terror metus concutiens: ex quo fit, ut pudorem rubor, terrorem pallor, & tremor, & dentium crepitus conſequatur. Timor metus eſt mali appropinquantis. Pavor eſt metus mentem loco movens. Exanimatio metus ſubſequens, & quaſi comes pavoris. Conturbatio metus excutiens cogitata. Formido metus permanens.

Voluptatis, ſeu lætitiæ partes hæ deſcribuntur, malevolentia, delectatio, jactatio, & ſimilia. Malevolentia eſt voluptas ex malo alterius, ſine emolumento ſuo. Delectio voluptas ſuavitate auditus animum deliniens; & qualis eſt hæc aurium, tales ſunt oculorum, & tactionum, & odorationum, & ſaporum, quæ ſunt omnes unius generis ad perfundendum animum tamquam illiquefactæ voluptates. Jactatio eſt voluptas geſtiens, & ſe efferens inſolentius.

Libidini, ſeu cupiditati ſubjectæ ſunt ira, excandeſcentia, odium, inimicitia, diſcordia, indigentia, & cetera ejuſmodi. Ira eſt libido puniendi ejus, qui videatur læſiſſe injuria. Excandeſcentia eſt ira naſcens, ac furioſius erumpens, & mox exiſtens. Odium eſt ira inveterata. Inimicitia ira ulciſcendi tempus obſervans. Diſcordia ira acerbior intimo odio, & corde concepta. Indigentia libido inexplebilis. Deſiderium libido ejus, qui nondum adſit, videndi. Hæc forte ſub-

ſubtilius, quam ſit neceſſe; ſed minime puto fore ſupervacanea. Nunc ad ea, quæ ſunt propria hujus partis, veniemus.

Illud iam eſt judicii, quo quaque in cauſſa genere utamur augendi, ſeu quas affectiones imprimere, & exſuſcitare in animis auditorum conveniat. In aliis enim cauſſis, quæ ad delectationem exornantur, ii loci tractandi ſunt, qui movere poſſunt exſpectationem, admirationem, voluptatem. Sunt autem hujuſmodi fere omnes laudationes. In cohortationibus bonorum, & malorum enumerationes, & exempla valent plurimum. in judiciis fere: Accuſatori, quæ ad iracundiam, reo plerumque, quæ ad miſericordiam pertinent. nonnumquam tamen accuſator miſericordiam movere debet, & defenſor iracundiam.

Juvat autem in primis non tam ex ipſa philoſophia, quam ex uſu dicendi, ex quibus rebus animi hominum moveantur, cognoſcere. Quod quum noſtra tradere experientia, & facultate non poſſimus; quæ ſpectare ſolerent homines hac arte præſtantiſſimi, ex eorum doctrina, & litteris aperiemus.

Eſt itaque, vel in primis conſiderandum, quid ipſa poſtulet cauſſa; nam quum in amplificatione adhibenda eſt lenis quædam oratio, ad delectandum potius, & ad animos voluptate quadam afficiendos, rapiendoſque in probitatis, in honeſtatis, in virtutis commendationem, amorem, admirationem, tum orator gravis, & conſtantis viri ſpeciem tueri debet; atque ita in laudes ſe fundere, ut ſuaviſſime pervadat animos, incendatque, ſi fieri poſſit, in ſtudium imi-

imitationis. Sed ea, quæ ſuſcipitur amplificatio ab oratore ad commutandos animos, atque omni ratione flectendos, intenta, ac vehemens eſſe debet.

In his duobus generibus, quorum alterum lene, alterum vehemens eſſe volunt, difficilis aliquando diſtinctio eſt. Nam ex illa lenitate, qua conciliamur illis, qui audiunt, ad hanc vim acerrimam, qua eoſdem excitamus, influat oportet aliquid; & ex hac vi nonnumquam aliquid inflammandum eſt illi lenitati: neque eſt ulla temperatior oratio, quam illa, in qua aſperitas contentionis oratoris ipſius humanitate conditur; remiſſio autem lenitatis quadam gravitate, & contentione firmatur. Percurre Ciceronis perorationes, & nullam forte invenies ex vehementioribus, in quibus leniores quidam motus non ſint permixti.

Cavendum deinde eſt, ne parvis in rebus adhibeantur illæ dicendi faces; neve tum iis utamur, quum ita ſunt homines animati, ut nihil ad eorum mentes flectendas proficere valeamus; ne aut irriſione, aut odio digni putemur, ſi aut tragœdias agamus in nugis, aut convellere adoriamur ea, quæ non poſſint commoveri. Illud autem omnes vident, quum animos auditorum jam affectos, & occupatos aliqua perturbatione invenimus; quum id minime deſperandum eſt, contrariis motibus tentandum eſſe aditum in ipſos; ut in rebus afflictis ad ſpem erigamus; ex magno odio inflectamus ad miſericordiam; & ita in aliis ſimili ratione.

Jam vero quum cauſſa inciderit, in qua vis amplificationis poſſit exprimi; tum orator re-

 get,

get, & flectet animos, & ſic afficiet, ut volet, id eſt, ut cauſſæ natura, & temporis poſtulabit. Nec ſolum; uti in præcedenti capite explicavimus, ad plures locos aperiendos, miſeratione, ſive conqueſtione, & indignatione utetur; verum etiam, ad eos impellendos, flectendoſque, quicunque erunt, amorem adhibebit, odium, iracundiam, invidiam, timorem, ſpem, lætitiam, moleſtiam. Nam de miſericordia, quæ in judicjis præſertim locum habet (quamquam ſæpe etiam in aliis cauſſis eſt excitanda) plura jam dicta ſunt.

Sentimus vero amorem conciliari, ſi id videare, quod ſit utile ipſis, apud quos agas, defendere, aut perſuadere: ſi aut pro bonis viris, aut certe pro iis, qui illis boni, atque utiles ſint, laborare. namque hæc res amorem magis conciliat; illa virtutis defenſio caritatem: pluſque proficit, ſi proponitur ſpes utilitatis futuræ, quam præteriti beneficii commemoratio. Enitendum eſt, ut oſtendas, in ea re, quam agis, aut dignitatem ineſſe, aut utilitatem; eumque, cui concilies hunc amorem, ſignifices nihil ad utilitatem ſuam retuliſſe; ac nihil omnino feciſſe cauſſa ſua. Invidetur enim commodis hominum ipſorum: ſtudia vero illorum ceteris commodandi probantur. Atq. iiſdem his ex locis & odium in alios ſtruere diſcemus, ſeu rectius in aliorum iniquam cauſſam, & a nobis, & a noſtris demovere. eademque hæc genera tractanda ſunt in iracundia, vel excitanda, vel ſedanda. Nam ſi, quod ipſis, qui audiunt, perniciosum, aut utile ſit, id factum augeas, odium creatur. ſin, quod aut in bonos viros, aut in eos,

in

in quos quiſque minime debuerit, aut in remp., tum excitatur, ſi non tam acerbum odium, tamen aut invidiæ, aut odii non diſſimilis offenſio. Sed huc etiam redeunt plura jam dicta de indignatione.

Item timor incutitur aut ex auditorum periculis, aut ex communibus. interior eſt ille proprius; ſed hic quoque communis ad eamdem ſimilitudinem eſt perducendus. Par atque una ratio eſt ſpei, lætitiæ, moleſtiæ. ſed haud ſciam, an acerrimus longe ſit omnium motus invidiæ: nec minus virium opus ſit in ea comprimenda, quam in excitanda. Invident autem homines maxime paribus, aut inferioribus, quum ſe relictos ſentiunt, illos autem dolent evolaſſe. Sed etiam ſuperioribus invidetur ſæpe vehementer, & eo magis, ſi intolerantius ſe jactant, & æquabilitatem communis juris præſtantia dignitatis, aut fortunæ ſuæ tranſeunt: quæ, ſi inflammanda ſunt, maxime dicendum eſt, non eſſe virtute parta; deinde etiam vitiis, atque peccatis. tum ſi erunt honeſtiora, & graviora; tamen non eſſe tanti ulla merita, quanta inſolentia hominis, quantumque faſtidium.

Ad ſedandam autem invidiam, proderit oſtendere, magno illa labore, magnis periculis eſſe parta, nec ad ſuum commodum, ſed ad aliorum eſſe collata, ſeſeque, ſi quam gloriam peperiſſe videatur, tametſi ea non ſit iniqua merces periculi, tamen ea non delectari, totamque abjicere, atque deponere. omninoque perficiendum eſt, (quoniam plerique ſunt invidi, maximeque eſt hoc commune vitium, & perpetuum: invidetur autem præſtanti, florentique fortunæ) ut

ut hæc opinio minuatur, & illa excellens cum opinione fortuna cum laboribus, & miſeriis permiſſa eſſe videatur.

Non eſt hic prætermittendum, quod jam ſupra indicavimus, quodque bis præcipit Cicero, commotis nimirum animis, diutius in conqueſtione, ſeu in vehementiori aliquo motu morari non oportere: unde illud repetit ex Rhetore Apollonio: *Lacryma nihil citius areſcit*. Quod tamen præceptum ita intelligi oportet; ut non ſit diu in eadem ratione dicendi, eodemque prope geſtu orationis, permanendum; non ita vero, ut ſtatim remittas orationem, quum incitata eſt, & ſinas deferveſcere animos. Nam, ut idem Tullius docet; Neque aſſiliendum ſtatim ad illud genus amplificationis vehemens; ſed poſtquam jam ea demonſtrata ſunt, quæ ſunt propria noſtræ orationis; quum in eam rationem ingreſſi fuerimus, non eſt celeriter diſcedendum. Nam ſive miſericordia, ſive invidia, ſive iracundia, quum perturbationem requirat, hanc conſequi, niſi multa, & varia, & copioſa oratione, & ſimili contentione actionis non poteſt,

Neque fieri poteſt, ut doleat is, qui audit, ut oderit, ut pertimeſcat aliquid, ut ad fletum, miſericordiamque deducatur; niſi omnes ii motus, quos orator adhibere volet auditori, in ipſo oratore impreſſi eſſe, atque inuſti videbuntur. Quod ſi fictus aliquis dolor ſuſcipiendus eſſet, & ſi in ejuſmodi genere orationis nihil ſit niſi falſum, atque imitatione ſimulatum; nihil erit magis ineptum, & ridiculum. Nec ſane quiſquam ad miſericordiam adducetur; niſi

ei

ei tu ſigna doloris tui verbis, ſententiis, voce, vultu, collacrymatione denique oſtenderis. Ut enim nulla materies tam facilis ad exardeſcendum eſt, quæ niſi admoto igne ignem concipere poſſit: ſic nulla mens eſt, tam ad comprehendendam vim oratoris parata, quæ poſſit incendi, niſi inflammatus ipſe ad eam, & ardens acceſſerit. Unde de ſe Tullius fatetur, non tam ingenio, quam dolore, ſe fuiſſe aſſecutum, ut in miſerationibus excellere videretur; quod ſuum animum magna vis inflammaret; quod in perorando ſe tenere non poſſet. Nondum ea dico de actione, quæ reſervavi in finem alterius libri. Sed hæc præteriri hic non poterant.

Ac ne forte hoc magnum, ac mirabile eſſe videatur, hominem toties iraſci, toties dolore, toties omni animi motu concitari, præſertim in rebus alienis: magna vis eſt earum ſententiarum, atque eorum locorum, quos agas, tractesque dicendo, nihil ut opus ſit ſimulatione, & fallaciis. Ipſa enim natura orationis ejus, quæ ſuſcipitur ad aliorum animos permovendos, oratorem ipſum magis etiam, quam quemquam eorum qui audiunt, permovet.

Omnis enim motus animi ſuum quemdam a natura habet vultum, & ſonum, & geſtum, totumque corpus hominis, & ejus omnes vultus, omneſque voces, ut nervi in fidibus, ita ſonant, ut a motu animi quovis ſunt pulſæ. Nam voces, ut chordæ ſunt intentæ, quæ ad quemcunque tactum reſpondeant, acuta, gravis, cita, tarda, magna, parva: quas tamen inter omnes eſt ſuo quæque in genere mediocris. Atque etiam illa ſunt ab his delapſa plu-

ra genera, læve aſperum; contractum, diffuſum; continenti ſpiritu, intermiſſo; fractum, ſciſſum; flexo ſono attenuatum, inflatum. Nullum eſt enim horum ſimilium generum, quod non arte tractetur, ac moderatione. Hi ſunt actori, ut pictori, expoſiti ad variandum colores.

Hæc omnia quam varie tractata ſint, & appoſite a Cicerone, poteſt ſane quivis ex ejus orationibus cognoſcere, etſi carent libri ſpiritu illo, propter quem majora eadem illa, quum aguntur, quam quum leguntur videri ſolent. Sed licet perorantem audire nequeamus, legere tamen erit uriliſſimum; & quod non omnes dicere ex roſtris debent, & quod qualis etiam fuerit in agendo, ex ſcriptis ejus orationibus non obſcure appareat; Exempla puto neminem hic deſideraturum. nam, quæ in ſuperiori capite tradidimus, huc etiam pertinent. Nullus autem eſt modus alicujus amplificationis, ſive commotionis, vehementioris, lenioriſque, quæ a Cicerone non fuerit tentata, & perfecta. Quare, ſi quis hæc velit recognoſcere, poterit unam, vel alteram perorationem ex iis præſertim, quas indicavimus, ſibi proponere, in eaque plura deprehendere. Præter Ciceronem quem in hoc genere proferemus? Ille ipſe de ſuis exemplis, de ſuo tempore, ac de iis, qui dicendo maxime præſtabant, & ante præſtiterant, ſic loquitur. *Uterer exemplis domeſticis, niſi ea legiſſes: uterer alienis vel Latinis, ſi ulla reperirem; vel Græcis, ſi deceret. Sed Craſſi perpacua ſunt, nec ea judiciorum. nihil Antonii, nihil*

nihil Cottæ, nihil Sulpitii. dicebat melius, quam ſcripſit Hortenſius.

Tuſc. qq. l. IV. *c.* VI. VII. VIII. IX. *Part.* XVII. II. *de Orat. c.* LI. II. III. -- III. *de Orat.* LVII. *In Orat.* XXXVII. XXXVIII.

Digitized by Google

DE CAUSSARUM, ET DICENDI GENERIBUS

LIB. III.

De genere Exornativo.

CAP. I.

TRia, uti jam ſupra vidimus, ſunt genera cauſſarum, judicii, deliberationis, exornationis: quæ quia in laudationes maxime confertur, proprium habet jam ex eo nomen; &, quamquam vituperationes etiam complectitur, tamen ex meliori nota, totum hoc genus exornationum appellatur.

In exornatione ſibi proponit orator delectationem in auditoribus movere. Unde hoc genus *epidicticum* nominatnr a Græcis, quod quaſi ad inſpiciendum, delectationis cauſſa, comparatum eſt. Non hic tamen videntur omnia, quæcunque loquimur, ad artem, & ad præcepta eſſe revocanda. Ex illis enim fontibus, unde omnia ornate dicendi præcepta ſumuntur, licebit etiam laudationem ornare: neque illa elementa hic videntur deſideranda, quæ ut nemo tradat, quis eſt, qui neſciat, quæ ſint in homine laudanda?

Latum hoc genus eſt, ſaneque varium, quod ad laudandos claros viros ſuſcipimus, & ad improbos vituperandos. Genus enim nullum eſt

ora-

orationis, quod aut uberius ad dicendum, aut utilius civitatibus eſſe poſſit; aut in quo magis orator in cognitione virtutum, vitiorumque verſetur.

Perſpicuum eſt igitur, alia eſſe in homine optanda, alia laudanda. Genus, forma, vires, opes, divitiæ, ceteraque, quæ fortuna det, aut extrinſecus, aut corpori, non habent in ſe veram laudem; quæ deberi virtuti uni putatur: ſed tamen, quod ipſa virtus in earum rerum uſu, ac moderatione maxime cernitur; tractanda etiam in laudationibus hæc ſunt naturæ, & fortunæ bona: in quibus eſt ſummma laus, non extuliſſe ſe in poteſtate, non fuiſſe inſolentem in pecunia; non ſe prætuliſſe aliis proptet abundantiam fortunæ, ut opes, & copiæ non ſuperbiæ videantur, ac libidini, & improbitati, ſed bonitati, ac moderationi, & liberalitati facultatem, & materiam dediſſe. Ceterum fortunam ipſam per ſe & laudare ſtultitia, & vituperate ſuperbia eſt.

Virtus autem, quæ eſt per ſe ipſa laudabilis, & ſine qua nihil laudari poteſt, tamen habet plures partes, quarum alia eſt ad laudationem aptior. Sunt enim aliæ virtutes, quæ videntur in moribus hominum & quadam comitate, ac beneficentia poſitæ. aliæ, quæ in ingenii aliqua facultate, aut animi magnitudine, ac robore. nam clementia, juſtitia, benignitas, fides, fortitudo in periculis communibus, jucunda eſt auditu in laudationibus. Omnes enim hæ virtutes, non tam ipſis, qui eas in ſe habent, quam generi hominum fructuoſæ putantur. ſapientia, & magnitudo animi, qua omnes res humanæ ge-

geruntur, tenues vulgo, & pro nihilo putantur. Ipſos enim magis videtur, quos laudamus, quam illos, apud quos laudamus, ornare, ac tueri: ſed tamen in laudando jungenda ſunt etiam hæc genera virtutum. feriunt enim aures hominum, quum illa, quæ jucunda, & grata, tum etiam illa, quæ mirabilia ſunt in virtute.

Et quoniam ſingularum virtutum ſunt certa quædam officia, ac munera, & ſua cuique virtuti laus propria debetur, erit explicandum in laude juſtitiæ, quid cum fide, quid cum æquabilitate, quid cum ejuſmodi aliquo officio is, qui laudabitur, fecerit. Itemque in ceteris res geſtæ ad cujuſque virtutis genus, & vim, & nomen accommodabuntur. Quibus omnibus quanto erunt potiora, quæ a nobis penitus divina de religione, aliiſque ſummis virtutibus prædicantur illorum, qui cæleſtibus honoribus ſunt aucti, atque ad ſuperos elati?

Gratiſſima autem laus eorum factorum habetur, quæ ſuſcepta videntur a viris fortibus ſine emolumento, ac præmio: quæ vero etiam cum labore, & periculo ipſorum, hæc habent uberrimam copiam ad laudandum, quod & dici ornatiſſime poſſunt, & audiri jucundiſſime. Ea enim denique virtus eſſe videtur præſtantis viri, quæ eſt fructuoſa aliis, ipſi autem laborioſa, aut periculoſa, aut certe gratuita. Magna etiam illa laus, & admirabilis videri ſolet, tuliſſe caſus ſapienter adverſos, non fractum eſſe fortuna, retinuiſſe in rebus aſperis dignitatem. Neque tamen illa non ornant, habiti honores, decreta virtutis præmia, res geſtæ judiciis hominum comprobatæ: in quibus etiam felicitatem

ipſam,

ipſam, ut Dei immortalis beneficium, ejuſdem numine tribui, laudationis eſt. Sumendæ autem res erunt aut magnitudine præſtabiles, aut novitate primæ, aut genere ipſo ſingulares. neque enim parvæ, neq. uſitatæ, neque vulgares, admiratione, aut omnino laude dignæ videri ſolent.

Eſt etiam cum ceteris præſtantibus viris comparatio in laudatione præclara. Quo in genere ſummopere cavebitis, maxime in ſacro argumento, ne ex intemperanti, & ipſis cæleſtibus civibus odioſa quadam contentione longius eveheatis laudationem, quam ipſa ferat laudati conditio. Qua de re nonnumquam audimus vel ex levitate, vel ad ingenii commendationem ea proferri, quæ & falſiſſima ſunt, & impudentiſſima, quæque piæ aures refugiunt audire.

Hoc quidem genus dicendi dulce debet eſſe, & ſolutum, & effluens, ſententiis argutum, verbis ſonans, pompæ, quam pugnæ aptius; gymnaſiis, & paleſtræ dicatum, ſpretum, & pulſum a foro. Noſtris tamen temporibus ab ipſo foro repulſa eloquentia in hujus partis poſſeſſionem, tamquam in ampliorem ſui campum, liberioremque ſe ſe recepit. Nec dubitandum, quin hac dicendi ratione eloquentia ipſa nutriatur; atque hinc ſe ſe coloret. Hic enim & concinnitas ſententiarum laudatur, & arguti, certique, & circumſcripti verborum ambitus conceduntur: de induſtriaque, non ex inſidiis, ſed aperte, ac palam elaboratur, ut verba verbis quaſi demenſa, & paria reſpondeant, ut crebro conferantur pugnantia, comparenturque contraria; omnia demum ad audien-

dientium voluptatem, ad aurium delectationem inſtruantur. Nam licet, ut præclare ſentit Ariſtoteles, finis in hoc genere demonſtrativo vere debeat eſſe honeſtas; nec alia de cauſſa ad delectationem ſtudioſe comparetur, niſi ut blandius honeſtatis amor in mentes hominum ſe ſe inſinuet: tamen hæc omnis induſtria in laudando non ſolum non eſt ingrata, non eſt ſuſpecta, ſed placet, & requiritur, & ad finem propoſitum eſt maxime accommodata.

Jam vituperandi præcepta contrariis ex vitiis ſumenda eſſe perſpicuum eſt. ſimul eſt illud ante oculos, nec bonum virum proprie, & copioſe laudari ſine virtutum, nec improbum notari, ac vituperari, ſine vitiorum cognitione ſatis inſignite, atque aſpere poſſe.

Quibus autem in orationibus delectatio, ſive honeſtas finis eſt, non eſt ſemper neceſſe eum ordinem ſervari in rebus, ſive argumentis collocandis, quem jam ſupra ſtatuimus, ſed varii poſſunt eſſe ordines, & apti. Nam aut temporum ſervantur gradus, aut generum diſtributiones, aut a minoribus ad majora aſcendimus, aut a majoribus ad minora delabimur, aut hæc inæquabili varietate diſtinguimus, quum parva magnis, ſimplicia conjunctis, obſcura dilucidis, læta triſtibus, incredibilia probabilibus inteximus, quæ in exornationem cadunt omnia. Probatur tamen maxime, quum in latiorem laudationis campum deducti ſumus, ita modum quærere, & habere delectum, ut ſtatuamus caput aliquod, ſive plura, ad quæ redigamus orationem; ubi & venuſtas ſit, & facilis eſſe poſſit rerum aliarum, quæ ſunt maxime laudandæ,

ſive

ſive commemoratio, ſive enumeratio, ſive exornatio.

Antiquiſſimæ in hoc genere fuerunt laudationes mortuorum apud Latinos, quæ in familiis conſervabantur, & quarum nonnullæ extitabant Ciceronis tempore. Ipſæ enim familiæ ſua quaſi ornamenta, ac monumenta ſervabant, & ad uſum, ſi quis ejuſdem generis occidiſſet, & ad memoriam laudum domeſticarum, & ad illuſtrandam nobilitatem ſuam. Quamquam his laudationibus teſtatur Cicero hiſtoriam Romanam uſque ab heroicis illis temporibus factam fuiſſe mendoſiorem. Jam vero ſub hoc capite quid indicem ſubjiciam earum orationum, quæ huc pertinent? Omnes, quæ propoſitam habent præcipue ſive laudationem, ſive vituperationem, ſunt exornativi generis.

Optarem potius in hunc locum referre poſſe, quæ in Cicerone ſunt vere admirabilia; cujuſmodi ſunt Orationes poſt Reditum ad Quirites, & in Senatu, tum illa pro M. Marcello. Verum qui poſſum id præſtare, quin integras illas exſcribam? Loca certe, quæ videntur illuſtriora, tam ſunt pervagata, ut non modo adoleſcentes, verum etiam vitos graviſſimos non pudeat, paucis leviter immutatis, in ſuas laudationes transferre. Quoties enim illud audivimus? At vero hujus laudis ſocium habes neminem. totum hoc quantumcunque eſt, quod certe maximum eſt, totum eſt, inquam tuum. nihil ex iſta laude &c. Verum id minime vos putetis ad imitationem adſcribendum: nimium enim hæc fidelis eſt. Legite attente has orationes, nullum fere ex indicatis locis invenietis a Tullio præter-

termiſſum; atque omnia ita in animis defixa, ut nequeant admirabilia non videri. Quid autem eſt in iis vulgare, quid protritum, quid commune; quid non præſtantiſſimum?

Sed eloquentiæ ſtudioſis, & jam vim dicendi ex hoc fonte, ſeu potius flumine delibantibus, non poſſum non id proponere, quod cenſeo uſui maximo futurum. Legite uberiorem partem Orationis pro lege Manilia de laudibus Pompeji. Omnia ibi reperietis ampliſſima, ſummiſque laudibus ad cælum elata. Quid vero ſi hæc ipſa ad paucas ſententias contracta perſpicietis in Oratione pro Cornelio Balbo? Non minori, credite, vos implebunt admiratione, aut etiam majori quadam vi vos afficient, atque erigent in hujus viri incredibilem quamdam præſtantiam.

De vituperationibus quid dicam? Dicam id ſolum, ſic tuliſſe illa tempora, ut neque ſceleſtiores homines, nequioreſque nati umquam eſſe viderentur Ciceronis inimicis; neque iſti in majorem vitæ infamiam, turpitudinem, exſecrationem incurrere potuerint, quam de Cicerone ſic male merendo. Non enim eos dumtaxat verbis laceſſit, maledictis proſcindit, ac ſuis ipſorum maleficiis exagitat, ſed infra etiam omnes labes, & ſordes, & peſtes, & omne dedecus amandat.

Lib. II. *de Orat.* IX. LXXXIV. & V. *Orat.* XII. & XIII. *Part.* III. & IV. XX. *Brut.* XVI.

De

De Genere deliberativo.

CAP. II.

GEnus deliberativum in ſuaſionibus verſatur, ac diſſuaſionibus. Eſt autem ejus finis, ut placet Ariſtoteli, utilitas; ut Ciceroni honeſtas ſimul, & utilitas. Hinc mirum eſſe non debet, ſi plura in locis explorandis hujus generis cauſſarum, indicabimus, quæ ad exornativum etiam pertinent. Id ipſum novos illi aditus aperiet, quin tamen permiſceatur tractatio. Non enim hic laudem propoſitam habemus proprie honeſtatis; ſed aliquid amplectendum, vel fugiendum honeſtatis cauſſa, ſive utilitatis.

Primum tamen ſuaſori, aut diſſuaſori videndum eſt, quid aut poſſit fieri, aut non poſſit; & quid aut neceſſe ſit, aut non neceſſe. nam &, ſi quid effeci non poteſt, deliberatio tollitur, quamvis utile ſit; & ſi quid neceſſe eſt, nihil attinet id ipſum ſuadere, vel diſſuadere. Neceſſe autem eſt non ſolum id, quod nulla vi, nullo conſilio vitari poteſt, ut properare in dies ad vitæ exitum; verum etiam illud, ſine quo ſalvi, liberive eſſe non poſſumus, quodque propterea reliquis & honeſtatibus in civili ratione, & commodis anteponendum eſt. Quum autem quæritur, num fieri poſſit, quod ſuademus, videndum etiam eſt, quam facile poſſit. nam quæ difficilia ſunt, perinde habenda ſæpe ſunt, ac ſi effeci non poſſent. Et quum agitur de neceſſitate, videndum tamen erit, ſi aliquid vere non eſt neceſſarium; ac tum erit per-

perpendendum, quam magnum ſit. Quod enim permagni intereſt, pro neceſſario ſæpe habetur.

Itaque quum conſtet hoc genus cauſſarum ex ſuaſione, & diſſuaſione, ſuaſori proponitur hæc ſimplex ratio: Si quod cenſetur deliberandum, vel honeſtum, vel utile eſt, vel utrumque, & fieri poteſt, fiat. diſſuaſori duplex: Si neque utile, neque honeſtum, ne fiat; ſi fieri non poteſt, nec ſuſcipiatur. Sic ſuaſori ſingula docenda ſunt; diſſuaſori alterum infirmare ſatis eſt. Ut hæc deliberativi generis argumenta, honeſtatis nimirum, utilitatis, & facultatis diſtinctius percipiatis, ſinite nos ſingula e ſuis fontibus haurire.

Rerum expetendarum tria genera ſunt: par autem numerus vitandarum ex contraria parte. Nam eſt quiddam, quod ſua vi nos alliciat ad ſe ſe, non emolumento captans aliquo, ſed trahens ſua dignitate, quod genus virtus, ſcientia, veritas eſt. Aliud autem non propter ſuam vim, & naturam; ſed propter fructum, atque utilitatem petendum cenſetur; quod genus pecunia eſt. Eſt porro quiddam ex horum partibus junctum, quod & ſua vi, & dignitate nos inductos ducit, & præ ſe quamdam gerit utilitatem, quo magis expetatur, ut amicitia, bona exiſtimatio. Atque ex his horum contraria facile, tacentibus nobis, intelligentur.

Sed ut expeditius ratio tradatur, ea, quæ poſuimus, brevi nominabuntur. Nam in primo genere quæ ſunt, honeſta appellabuntur; quæ autem in ſecundo, utilia; hæc autem tertia, quia partem honeſtatis continent, & quia major eſt vis honeſtatis, junctæ res omnino ex dupli-

ci

ci genere intelligentur: ſed in meliorem partem vocabuli conferantur, & honeſta nominentur. Ex his illud conficitur, ut appetendarum rerum partes ſint honeſtas, & utilitas; vitandarum turpitudo, & inutilitas. His autem duabus rebus duæ res grandes ſunt attributæ, neceſſitudo, & affectio; quarum altera ex vi, altera ex re, & perſonis conſideratur. Sed nunc honeſtatis rationes primum explicemus.

Honeſtatis duæ ſunt partes, altera ſimplex, altera juncta eſt. Virtus eſt quæ una vi, unoque nomine omnem rationem ſimplicis honeſtatis complexa eſt. Nam virtus eſt animi habitus, naturæ modo, rationi conſentaneus. Hæc autem habet partes quatuor, prudentiam, juſtitiam, fortitudinem, temperantiam.

Prudentia eſt rerum expetendarum, fugiendarumque ſcientia, partes ejus memoria intelligentia, providentia. Memoria eſt, per quam animus repetit illa, quæ fuerunt. Intelligentia eſt, per quam ea perſpicit, quæ ſunt. Providentia eſt, per quam futurum aliquid videtur, antequam factum ſit.

Juſtitia eſt habitus animi, communi utilitate ſervata, ſuam cuique tribuens dignitatem. Ejus initium eſt ab natura profectum: deinde quædam in conſuetudinem ex utilitatis ratione venerunt; poſtea res & ab natura profectas, & ab conſuetudine probatas, legum metus, & religio ſanxit.

Natura jus eſt, quod non opinio genuit, ſed quædam innata vis, hoc eſt æterna Dei lex inſeruit, ut religionem, pietatem, gratiam, vindicationem, obſervantiam, veritatem. Religio-

gio eſt, quæ ſummæ, & perfectiſſimæ naturæ, ex qua omnia ſunt profecta, divino ſcilicet Conditori, curam, ceremoniamque affert, & ſupremum exhibet cultum. Pietas, per quam ſanguine conjunctis, partiæque benevolis diligens tribuitur officium. Gratia, in qua amicitiarum, & officiorum alterius memoria, & alterius remunerandi voluntas continetur. Vindicatio eſt, per quam vis, & injuria, & omnino omne, quod obfuturum eſt, defendendo, aut ulciſcendo propulſatur. Obſervantia eſt, per quam homines aliqua dignitate antecedentes cultu quodam, & honore dignantur. Veritas eſt, per quam immutata ea, quæ ſunt, aut ante fuerunt, aut futura ſunt dicuntur. Conſuetudine jus eſt, quod, aut leviter a natura tractum aluit, & majus fecit uſus; aut quod in morem vetuſtas vulgi approbatione perduxit.

Fortitudo eſt conſiderata periculorum ſuſceptio, & laborum perpeſſio. Ejus partes, magnificentia, fidentia, patientia, perſeverantia. Magnificentia eſt rerum magnarum, & excelſarum cum animi ampla quadam, & ſplendida propoſitione agitatio, atque adminiſtratio. Fidentia eſt, per quam magnis, & honeſtis in rebus multum ipſe animus in ſe fiduciæ certa cum ſpe collocavit. Patientia eſt, honeſtatis, aut utilitatis cauſſa, rerum arduarum, ac difficilium voluntaria, ac diuturna perpeſſio. Perſeverantia eſt in oratione bene conſiderata ſtabilis, & perpetua permanſio.

Temperantia eſt rationis in libidines, atque in alios non rectos impetus animi, firma, & moderata dominatio. ejus partes ſunt, continentia,

nentia, clementia, modeſtia. Contentia eſt, per quam cupiditas conſilii gubernatione regitur. Clementia, per quam animi temere in odium alicujus injuriæ concitati comitate retinentur; Modeſtia, per quam pudor honeſtus claram, & ſtabilem comparat auctoritatem. Atque hæc omnia propter ſe ſolum, tametſi nihil adjungatur emolumenti, petenda ſunt.

Propter ſe autem vitanda ſunt, non ea modo, quæ is contraria ſunt, ut fortitudini ignavia, & juſtitiæ injuſtitia; verum etiam illa, quæ propinqua videntur, & finitima eſſe; abſunt autem longiſſime. exempli cauſſa, Fidentiæ contrarium eſt diffidentia, & ea re vitium eſt: audacia non contrarium, ſed appoſitum eſt, ac propinquum, & tamen vitium eſt. Sic unicuique virtuti finitimum vitium reperietur. Cavendum igitur, ne fallant ea nos vitia, quæ virtutem videntur imitari. nam & prudentiam malitia; & temperantiam immanitas in voluptatibus aſpernandis; & magnitudinem animi ſuperbia in animis extollendis; & liberalitatem effuſio; & fortitudinem audacia imitatur; & patientiam duritia immanis; & juſtitiam acerbitas; & religionem ſuperſtitio; & lenitatem mollitia animi; & verecundiam timiditas. Nec aliter ſtudiis bonis ſimilia videntur ea, quæ ſunt in eodem genere nimia. His explicatis, quæ ſunt de genere honeſtatis, quod omni ex parte propter ſe petitur, vel contra vitatur; nunc de eo, in quo utilitas quoque adjungitur, quod tamen honeſtum vocamus, dicendum videtur.

Sunt igitur multa, quæ nos, tum dignitate, tum fructu ſuo ducunt ad ſe, quo in genere

eſt gloria , dignitas , amplitudo , amicitia . Gloria eſt frequens de aliquo fama cum laude . Dignitas alicujus honeſta , & cultu , & honore , & verecundia digna auctoritas . Amplitudo potentiæ , aut majeſtatis , aut aliquarum copiarum magna abundantia . Amicitia , voluntas erga aliquem rerum bonarum , illius ipſius cauſſa , quem diligimus , cum ejus pari voluntate . Amicitiarum autem ratio , quoniam partim ſunt religionibus junctæ , partim non ſunt ; & quia partim veteres ſunt , partim novæ ; partim ab illorum , partim ab noſtro beneficio profectæ ; partim utiliores , partim minus utiles ; ex cauſſarum dignitatibus , ex temporum opportunitatibus , ex officiis , ex religionibus , ex vetuſtatibus habebitur.

Utilitas autem , aut in corpore poſita eſt , aut in extraneis rebus : quarum tamen rerum multo maxima pars ad corporis commodum revertitur : ut in rep. quædam ſunt , quæ (ut ſic dicam) ad corpus pertinent civitatis , ut agri , portus , pecunia , claſſes , nautæ , milites , ſocii , quibus rebus incolumitatem , ac libertatem retinent civitates . Alia vero , quæ jam quiddam magis amplum , & minus neceſſarium conficiunt , ut urbis egregia exornatio , atque amplitudo : ut quædam excelletis pecuniæ magnitudo , amicitiarum , ac ſocietatum multitudo . Quibus rebus non illud ſolum conficitur , ut ſalvæ , & incolumes , verum etiam ut amplæ , atque potentes ſint civitates .

Quare utilitatis duæ partes videntur eſſe , incolumitas , & potentia . Incolumitas eſt ſalutis tuta , atque integra conſervatio . Potentia

eſt

eſt ad ſua conſervanda, & alterius obtinenda idonearum rerum facultas. Atque in iis omnibus, quæ ante dicta ſunt, quid difficulter, & quid facile fieri poſſit, oportet conſiderare. Facile fieri id dicimus, quod ſine magno, aut ſine ullo labore, ſumptu, moleſtia, quam breviſſimo tempore confici poteſt. Difficile autem fieri, quod quamquam laboris, ſumptus, moleſtiæ, longinquitatis indiget, atque aut omnes, aut plurimas, aut maximas cauſſas habet difficultatis; tamen his ſuſceptis difficultatibus, compleri, aut ad exitum perduci poteſt. Ex quibus jam ducimur ad dicendum, de neceſſitudine, & affectione.

Eſt igitur aliqua neceſſitudo, cui nulla vis reſiſtit, quæ neque mutari, neque leniri poteſt. Sic uri poſſe flamma ligneam materiam neceſſe eſt: Corpus mortale aliquo tempore interire neceſſe eſt. Quæ ſunt ita neceſſaria, non cadunt in deliberationem. nihil enim eſt opus ſuaſione. Sed aliæ ſunt neceſſitudines cum aliqua adjunctione, ſive ex poſita conditione. Sic neceſſe eſt, ut homines utantur cibo, ſed cum adjunctione, ſi nolint fame perire. In hoc itaque genere neceſſitudinis verſari deliberatio poteſt; atque illud potiſſimum erit conſiderandum, quod adjungitur. nam id ſemper vel ad honeſtatem pertinebit, hoc modo: neceſſe eſt hoc faciamus, ſi honeſte volumus vivere: fortiter in hoſtes dimicandum eſt, ne turpiter ſerviamus: aut ad incolumitatem, hoc modo, ſi incolumes volumus eſſe, paci, & concordiæ ſtudeamus neceſſe eſt: aut ad commoditatem hac ratione: Si ſine incommodo volumus vivere, eos alere, & con-

ſervare debemus in civitate, ex quibus omnia vitæ commoda gignuntur.

Ac ſumma quidem neceſſitudo videtur eſſe honeſtatis; huic proxima incolumitatis; tertia ac leviſſima commoditatis; quæ cum his numquam poterit contendere. Haſce autem inter ſe ſæpe neceſſe eſt comparari, utrum conſilium vel honeſtius, vel utilius habendum ſit; aut etiam quum id convenit, certatur, utrum honeſtati potius, an utilitati conſulendum ſit. Quæ quia pugnare ſæpe inter ſe videntur, qui utilitatem defendit, enumerabit commoda pacis, opum, potentiæ, pecuniæ, vectigalium, præſidii, militum, utilitates ceterarum rerum, quarum fructum utilitate metimur, itemque incommoda contrariorum. Ubi, quum erit commodum, juvabit oſtendere, uti neglecta utilitate, ne dignitas quidem poterit retineri. Qui autem ad dignitatem impellit, qua vere nihil eſt in ſuadendo optabilius, majorum exempla, quæ erunt, vel cum periculo glorioſa, colliget; poſteritatis immortalem memoriam augebit; utilitatem ex laude naſci defendet; ſemperque eam cum dignitate eſſe conjunctam.

Supereſt affectio, quæ ut hic ſumitur, eſt quædam ex tempore, aut ex negotiorum eventu, aut adminiſtratione, aut hominum ſtudio, commutatio rerum: ut non tales, quales ante habitæ ſint, aut plerumque haberi ſoleant, habendæ videantur eſſe, quum ineunda deliberatio eſt. Sic ad hoſtes tranſire turpe videtur eſſe; at non illo animo, quo Ulyſſes tranſiit, Trojam ingreſſus mendici habitu, diligenter omnia apud hoſtes exploraturus: & pecuniam in mare dejicere

jicere, vel inſanum, vel inutile; at non eo conſilio, quo Ariſtippus fecit. Sunt igitur res quædam, ex tempore, & ex conſilio, non ex ſua natura conſiderandæ; quibus in omnibus, quid tempora petant, aut quid perſonis dignum ſit, conſiderandum eſt: & non quid, ſed quo quidque animo, quicum, quo tempore, quamdiu fiat, attendendum eſt. Ex his partibus loci ſumendi ſunt ad ſententiam dicendam.

Quod ſi ſemper optima tenere poſſemus, haud ſane, quoniam quidem ea perſpicua ſunt, conſilio multum egeremus. Sed quia temporibus, quæ vim habent maximam, perſæpe evenit, ut utilitas cum honeſtate certet, uti jam dixi, earumque rerum contentio plerumque deliberationes efficit: ne aut opportuna propter dignitatem, aut honeſta propter utilitatem relinquantur; ad hanc difficultatem explicandam præcepta referamus.

Et quoniam non ad veritatem ſolum, ſed etiam ad opiniones eorum, qui audiunt, accommodanda eſt oratio: hoc primum intelligamus, hominum duo eſſe genera; alterum indoctum, & agreſte, quod anteferat ſemper utilitatem honeſtati; alterum humanum, & politum, quod rebus omnibus dignitatem anteponat. Itaque huic generi laus, honor, gloria, fides, juſtitia, omniſque virtus; illi autem alteri quæſtus, emolumentum, fructuſque proponitur; atque etiam voluptas, quæ maxime eſt inimica virtuti, bonique naturam fallaciter imitando adulterat, quam immaniſſimus quiſque acerrime ſequitur, neque ſolum honeſtis rebus, ſed etiam neceſſariis anteponit. Quum huic generi homi-

num conſilium dabis, hæc ipſa voluptas, numquam tamen impudens, aut flagitioſa, aut turpis, erit in deliberatione proponenda, ut ejus etiam illecti dulcedine, id ſequantur, quod erit ſalutare.

Illud etiam videndum, quanto magis homines mala fugiant, quam ſequantur bona. nam neque honeſta tam expetunt, quam devitant turpia. Quis enim honorem, quis gloriam, quis laudem, quis ullum decus tam umquam expetat, quam ignominiam, infamiam, contumeliam, dedecus fugiat? quarum rerum dolor gravis eſt. Eſt etiam genus hominum ad honeſtatem natum, malo cultu, praviſque opinionibus contaminatum. quare in cohortando, atque ſuadendo, propoſitum nobis erit illud, ut doceamus, qua vi bona conſequi, malaque vitare poſſimus.

Sed apud homines bene inſtitutos plurimum de laude, & de honeſtate dicemus: maximeque ea virtutum genera tractabimus, quæ in communi hominum utilitate tuenda, augendaque verſantur. Sin apud indoctos, imperitoſque dicemus, fructus, emolumenta, voluptates, vitationeſque dolorum proferantur, addantur etiam contumeliæ, atque ignominiæ. Nemo enim eſt tam agreſtis, quem non, ſi ipſa minus honeſtas, contumelia tamen, & dedecus magnopere moveat.

Quin hic alia ſubjiciam præcepta ſive de iis concionibus, quas ſupremi ad populum habebant magiſtratus, imperatoreſque ad milites; ſive de ſententiis, quas conſules, principeſque Senatus, & rogati patres conſcripti dicebant in ſenatu; quæ licet huc ſpectent, tamen uſu cum ipſa

ipſa forenſi eloquentia vel penitus, vel magna ex parte interierunt; vos ad eas conciones, ſive orationes revocabo, quæ ad ſuadendum aliquid, ſive diſſuadendum multitudini in noſtris etiam civitatibus haberi frequentiſſime ſolent. Nec dubium, quin ad illas etiam conciones commode referri poſſint præcepta omnia, quæ hactenus in hoc capite fuerunt explicata. Unum lubet adjungere, quod maxime puto ex uſu, & religione futurum; id eſt, nihil modo in noſtris ſuaſionibus, cohortationibuſque ad pietatem, ad Chriſtiana officia, ad virtutes amplectendas, ad fugienda vitia, nihil inquam momenti habere nos majoris, tum illis fructibus, & præmiis, tum illis cruciatibus, & ſuppliciis, quæ proponimus ex divina religione; quæque æterna ſunt, & in ſe omnia vera complectuntur vel bona, vel mala. Quamquam ex ipſa noſtrorum inſtitutorum præſtantia, & divinitate quot ſuaſionum argumenta ſumere poterimus? quot ex divino auctore? quot ex divinis exemplis?

Atque ut totum genus rurſum comprehendamus, nemo non videt, in ſuaſione oratori propoſitam eſſe oportere ſpem, aut reformidationem. Quæ autem argumenta ad hos pertineant motus exitandos; qui ſint affectus ad hos accommodati, facile erit cuique ex jam dictis intelligere.

Orationes Ciceronis in hoc genere ſunt pro Lege Manilia, in qua ſuadet Pompejum deligendum Imperatorem contra Mithridatem: de Lege Agraria tres, in quibus diſſuadet Populo legem Rulli. Divinatio in Q. Cæcilium, huc verius eſt referenda, quam ad aliud genus.

ſua-

ſuadet enim, ſe potius, quam Cæcilium aſſumendum ad Verrem accuſandum. Hujuſmodi etiam cenſeri poſſunt illa pro Domo ſua, & illa de Provinciis conſularibus. Quamquam ſi aliis aliter placebit in genere cauſſarum præſcribendo, non admodum repugnabo.

In magnis certe cauſſis, vel jam indictis, atque ideo jam poſitis in exſpectatione, monent principia vel non longa eſſe oportere, vel ſæpe nulla. Sunt enim ad audiendum, qui deliberaturi ſunt, ſua cauſſa parati. Nec multum ſane ſæpe narrandum videtur. Eſt enim narratio præteritarum rerum, aut præſentium; ſuaſio autem futurarum. Quare ad fidem, & ad motum adhibenda eſt omnis oratio. Dixi ſæpe, & non multum narrandum eſſe; at ſæpe etiam contingit, ut narratione ſit opus; nam ſæpe ut in futurum deliberemus, neceſſe eſt cognoſcere, quo tum in ſtatu res ſint, quo in diſcrimine; quidve jam evenerit. Unde in illa Ciceronis pro Lege Manilia, antequam ad id, quod erat deliberandum, veniat, narrationes præmittit, quibus neceſſitatem belli, & magnitudinem exponit.

II. *de Invent.* LXI. LXII. LXIII. LXIV. LXV. LXVI. LXVII. LXVIII. -- II. *de Orat.* LXXXII. *Part.* XXIII. XXIV. XXV. XXVI. & XXVII.

De

De Genere judiciali.

CAP. III.

QUemadmodum in proviſione poſteri temporis verſatur genus deliberativum; ita in præteriti diſceptatione tranſigitur judiciale. De hoc modo ſumus acturi; ſed minime neſcii, hoc genus cauſſarum, quod maxime in ſummis laudibus eloquentiæ floruit, nunc totum exaruiſſe, vel potius interiiſſe in foro, veriſque cauſſis. Quare non multum operæ in hoc peculiari genere ponemus, quod prope totum intercidit; ſed illud minime præteribimus; quum omnia fere præſtantiſſima huius artis exempla inde ſint profecta, & ex Cicerone ad nos tranſmiſſa.

Igitur hoc primum ſtatuamus, non eamdem accuſatori, & reo convenire collocationem. Nam accuſator rerum ordinem proſequitur, & ſingula argumenta, quaſi haſta in manu collocata, vehementer proponit, concludit acriter, confirmat tabulis, decretis, teſtimoniis, accuratiuſque in ſingulis commoratur: perorationiſque præceptis, quæ ad incitandos animos valent, & in reliqua oratione, paullulum digrediens de curſu dicendi, utitur, & vehementius in perorando. Eſt enim propoſitum, ut iratum efficiat judicem.

Omnia longe ſecus facienda ſunt reo, ei nimirum, qui reum defendit. Sumenda principia ad benevolentiam conciliandam. Narrationes aut amputandæ, quæ lædunt, aut totæ relinquendæ,

dæ, ſi totæ ſunt moleſtæ, aut ita cæſim per cauſſam diſtribuendæ, uti ſuo loco demonſtratum eſt. Firmamenta ad fidem poſita aut per ſe diluenda, aut obſcuranda, aut digreſſionibus obruenda. Perorationes autem ad miſericordiam conferendæ; ſed etiam ſæpe in adverſarios, & in accuſatores ſæpe ſunt intorquendæ, & acrius, & infeſtius incitandæ. Non tamen ſemper eodem modo; ſed opus erit judicii, orationem moderari, & cauſſæ, & tempori, & perſonis accommodare.

Ceterum exordia in hoc genere, uti jam monuimus, debent habere plus artis, quam oſtendant. debent enim non modo aditum in orationem; verum etiam in animos auditorum, & in ipſorum mentes aperire. Et quemadmodum ſæpe ab accuſatore ponentur principia ſuſpicioſa ad acerbitatem, denunciabiturque commune inſidiarum periculum, & excitabuntur animi, ut attendant: ita contra proferentur a reo querelæ conflati criminis, collectarumque ſuſpicionum, & accuſatoris inſidiæ, & item commune diſcrimen, quod tali judicio, & criminatione omnibus intentatur; animique ad miſericordiam allicientur. Sed hæc fuſe, ubi de principiis.

Revocandi etiam huc eſſent ſtatus, & diſceptationes, quæ hinc veniunt in judicium; ſed de iis forte plura, quam ſatis eſſet, ſuo loco. Quare ceteris omiſſis, quæ fuſius diſputantur a ſummis magiſtris, ſed ad rem noſtram minus facere videntur; ea potius ſubjiciam, quæ non minus in judiciis valere poſſunt, quam in deliberationibus, atque laudationibus.

Valet igitur multum ad vincendum probari mo-

mores, inſtituta, & facta, & vitam eorum, qui agent cauſſas; & eorum, pro quibus ad dicendum accedimus; tum animos eorum, apud quos agitur, conciliari quam maxime ad benevolentiam quum erga oratorem, tum erga illum, pro quo dicet orator. Conciliantur autem animi dignitate hominis, rebus geſtis, exiſtimatione vitæ, quæ facilius ornari poſſunt, ſi modo ſunt; quam poſſint fingi, ſi nulla ſunt. Nolite enim putare, quod conciliatio auditorum tributa ſit principio; idcirco minus eam convenire toti orationi. facilius etiam benevolos auditores ſibi faciet orator in curſu orationis, quam quum omnia ſunt inaudita.

Oratori autem maximo ſunt uſui lenitas vocis, vultus, pudoris ſignificatio, verborum comitas. ſi quid perſequare acrius, ut invitus, ut coactus facere videare. facilitatis, liberalitatis, manſuetudinis, pietatis, grati animi, non appetentis, non avidi ſigna proferri perutile eſt: eaque omnia, quæ proborum, demiſſorum, non acrium, non pertinacium, non litigioſorum, non acerborum ſunt, valde benevolentiam conciliant, abalienantque ab iis, in quibus hæc non ſunt. Itaque eadem ſunt in adverſarios ex contrario conferenda.

Sed genus hoc totum orationis excellit maxime in iis cauſſis, in quibus non ſunt animi auditorum inflammandi acri, & vehementi quadam incitatione. quamquam is character probitatis abeſſe numquam debet ab oratore. Certe ipſis reis, ſive ſupplicibus hos mores exprimere oratione, id eſt, juſtos, integros, timidos, perferentes injuriarum, mirum quiddam valet, &

hoc

hoc vel in principiis, vel in re narranda, vel in peroranda tantam habet vim, ſi eſt ſuaviter, & cum ſenſu tractatum, ut ſæpe plus, quam cauſſa, valeat. Tantum autem efficitur ſenſu quodam, ac ratione dicendi, ut quaſi mores oratoris effingat oratio.

Huic eſt illa diſpar adjuncta ratio orationis, quæ alio quodam genere mentes judicum permovet, impellitque; de qua ſatis, ubi de Amplificatione. Optandum quidem eſt in hoc genere oratori, ut aliquam permotionem animorum ſua ſponte ipſi afferant ad cauſſam judices ad id, quod utilitas oratoris feret, accommodatam. Facilius eſt enim currentem (ut ajunt) incitare, quam commovere languentem. Verum, ſive id erit, ſive erit obſcurum; oratoris quidem eſt, quum cauſſa poſcit, etiam languentem commovere. Quin autem huc alia revocem, quæ repetita negotium faceſſerent; illud afferam ex Antonio apud Ciceronem de M' Aquilio, quem retinendum in civitate defendebat.

Quem enim ego, inquit, conſulem fuiſſe, imperatorem ornatum a ſenatu, ovantem in Capitolium aſcendiſſe meminiſſem; hunc quum afflictum, debilitatum, mærentem, in ſummum diſcrimen adductum viderem, non prius ſum conatus miſericordiam aliis commovere, quam miſericordia ſum ipſe captus. Senſi quidem tum magnopere moveri judices, quum excitavi mœſtum, ac ſordidatum ſenem, & quum iſta feci, quæ tu, Craſſe, laudas, non arte, de qua, quid loquar, neſcio; ſed motu magno animi, ac dolore, ut diſcinderem tunicam, ut cicatrices oſtenderem. Quum C. Marius mærorem orationis meæ

præ-

præſens, ac ſedens multum lacrymis ſuis adjuvaret; quumque ego illum crebro appellans, collegam ei ſuum commendarem, atque ipſum advocatum ad communem imperatorum fortunam defendendam invocarem: non fuit hæc ſine meis lacrymis, non ſine dolore magno miſeratio; omniumque Deorum, & hominum, & civium, & ſociorum imploratio. quibus omnibus verbis, quæ a me tum ſunt habita, ſi dolor abfuiſſet meus, non modo non miſerabilis, ſed etiam irridenda fuiſſet oratio mea. Quamobrem hoc vos docet, adoleſcentes, bonus iſte, atque præſtantiſſimus magiſter, ut in dicendo, prout cauſſa poſtulabit, iraſci, ut dolore, ut flere poſſitis; &, quum opus eſt, facilitate quadam dicendi, & actione leni, & morata quadam oratione, vos bene morati, & vere boni eſſe videamini. Tanti enim refert bonum eſſe oratorem, ut lib. I. c. xx. ſic idem Antonius apud Tullium loquatur. „ Si intelligam poſſe ad ſummos perveni-
„ re; non ſolum hortabor, ut elaboret; ſed
„ etiam, ſi vir quoque mihi bonus videbitur,
„ obſecrabo. tantum ego in excellente oratore,
„ & eodem viro bono pono eſſe ornamenti uni-
„ verſæ civitati.

Part. IV. V. XX. II. *de Orat.* XIX. XLIII. IV. VII.

De dicendi generibus, ac primum de ſubmiſſo, ſeu humili.

CAP. IV.

SEquitur, ut cujuſque generis dicendi nota, ſeu character quæratur. Magnum opus, dicebat

cebat Cicero, & arduum: nobis tamen, poſtquam diligentiſſime ab eodem tractatum fuit, planum hercle, & minime laborioſum. Quid enim facilius, quam exſcribere? Non idcirco tamen, quod unice requirimus, erit eloquentiæ ſtudioſis minus utile. In triplici dicendi genere verſatur omnis oratio, in ſublimi, quod & grave dicitur, & vehemens, in temperato, & in tenui, ſeu humili, ſubmiſſove; quo de nunc agere inſtituimus.

Hoc igitur ſubmiſſum dicendi genus, & humile conſuetudinem videtur imitari ſermonis nihil elaborati, ac prope quotidiani. Qui hoc aſſequitur ab indiſertis re plus, quam opinione differt. Itaque eum qui audiunt, quamvis ipſi infantes ſint, tamen illo modo confidunt, ſe poſſe dicere. nam orationis ſubtilitas imitabilis illa quidem videtur eſſe exiſtimanti, ſed nihil eſt experienti minus. Etſi enim non plurimi ſanguinis eſt, habeat tamen ſuccum optimum oportet; ut etiam ſi illis maximis viribus careat, ſit, ut ita dicam, integra valetudine.

Primum igitur, qui ita dicat, eximat orationem e vinculis numerorum, nec multum concinnati ſtudeat. Solutum quiddam habeat, nec vagum tamen, ut ingredi libere, non ut licenter videatur errare. Verba etiam verbis quaſi coagmentare negligat. nam, ut alio loco monuimus, & huc maxime pertinet, habet ille tamquam hiatus concurſu vocalium molle quiddam, & quod indicet non ingratam negligentiam de re hominis magis, quam de verbis laborantis.

Hæc duo circuitus, & conglutinatio verborum

ſunt

ſunt huic generi liberiora. quid reliqua? Illa quidem hac ratione contracta, & minuta non negligenter tractanda ſunt; ſed quædam etiam negligentia eſt diligens; atque hæc ita ſubtilis oratio etiam incompta delectat. Fit enim quiddam in utroque, quo ſit venuſtius, ſed non appareat. Tum removebitur omnis inſignis ornatus, quaſi margaritarum; ne calamiſtri quidem adhibebuntur. Fucati vero medicamenta candoris, & ruboris omnia repellentur: elegantia modo, & munditia manebit. Sermo purus erit, & Latinus: dilucide, planeque dicetur: quid deceat, circumſpiciter.

Unum aderit, quod quartum numerat Theophraſtus in orationis laudibus, ornamentum illud ſuave, & affluens: acutæ, crebræque ſententiæ ponentur, & neſcio unde ex abdito erutæ, atque in hoc oratore dominabuntur. Verecundus erit uſus oratoriæ quaſi ſupellectilis. Supellex eſt enim quodammodo oratoris, quæ eſt in ornamentis, alia rerum, alia verborum; de quibus fuſe in prima parte. Ergo ille tenuis orator, modo ſit elegans, & in transferendis verbis erit verecundus, & in reliquis ornamentis tum verborum, tum ſententiarum demiſſior. Illis utetur liberius, & translatis, & commutatis verbis, quæ jam prope in conſuetudinem quotidianam recepta, tamquam propria ſermonis videntur adoptata.

Jam vero ex ceteris verborum, & ſententiarum luminibus adhibebit ea hic ſubtilis orator, quæ nitorem aliquem afferre valeant, non autem inſignem cultum. Nam ſic, ut in epularum apparatu, a magnificentia recedens, non ſe

parcum ſolum, ſed etiam elegantem, videri volet; eliget, quibus utatur. Ei certe fugiendæ ſunt exquiſitæ omnes venuſtates. cavendum etiam, ne quoddam aucupium delectationis manifeſto deprehendatur. Ceterum quæ contentionem aliquam, quæ clamorem requirunt, erunt ab hac ſummiſſione orationis aliena. Non faciet remp. loquentem, nec ab inferis mortuos excitabit, nec acervatim multa frequentans, una complexione devinciet. Valentiorum hæc laterum ſunt, neque ab hoc tenui, & humili exſpectanda, aut poſtulanda. erit enim ut voce, ſic etiam oratione ſuppreſſior.

Pleraque tamen ex illis luminibus convenient etiam huic tenuitati; quamquam iiſdem ornamentis utetur horridius. illa inquam ſibi ea ſumet lumina dicendi, quæ non erunt vehementer illuſtria; verba uſitatiſſima, translationes molliſſimas. Huic generi orationis adſpergentur etiam ſales, qui plurimum in dicendo valent aliquando, quorum duo genera ſunt, unum facetiarum, alterum dicacitatis. Utetur autem, dummodo tempeſtive, utroque: ſed altero in narrando aliquo venuſte, altero in jaciendo, mittendoque ridiculo: cujus genera plura ſunt; ſed vix arte tradi poſſunt. Quod ſi omnia ſemper frigida ſunt, & inepta, quæ ſunt in hoc genere diligentius quæſita, ut non nata ex tempore, ſed domo allata videantur; hic eadem ſunt omnino repudianda. Hi quidem ſales, hæ facetiæ, ſeu urbanæ gratiæ, & liberales, & feſtivæ, quum erunt genuinæ, ac prope naturales, tum maxime commendabunt hunc oratorem, qui tum erit Atticus maxime cenſendus. Sed

quam

quam id ſit difficile, viderit ille Tullius, qui teſtatur neminem talem ex novis Atticis ſui temporis cognoviſſe, quum id certe cenſeret maxime Atticum.

In hoc dicendi genere, quod ſubtilitatem, tenuitatemque imitatur, & in quo plus eſt operæ, quam appareat, cavendum etiam eſt, ne, non modo nimium diligentes videamur, quod hic eſſet vitioſiſſimum; verum etiam ne ſimus ipſi. Nimium itaq. in ſe, qui exilitatem dicendi conſectabitur, non inquiret; nec ipſe ſe ſe nimium obſervabit, metuenſque, ne vitioſum colligat, etiam verum ſanguinem deperdet. In hoc tandem dicendi genere ſuprema hæc lex habeatur, ut in ipſa ſubtilitate dicendi nihil probetur, niſi politum, urbanum, & elegans; nihil habeatur vere Atticum, quod aut ineptum, aut odioſum, aut putidum habeatur, in quo demum non emicent gratiæ quædam tanto venuſtiores, quanto minus arceſſitæ.

Hoc genus placet, forte dicetis. Atticorum ſimiles eſſe volumus. Optime. Sed qui poterimus? Non ita facile, uti jam intelligere potuiſtis. Attamen ſi id eſtis conſecuti, ut vos maxime delectet hoc genus dicendi; ut jam guſtare, ut illud admirari in epiſtolis Ciceronis, in pleriſque ejus libris tum Philoſophicis, tum Oratoriis, & paſſim in ejuſdem orationibus, ac præſertim in inſignioribus quibuſdam earum partibus, quæ hoc deſiderant ſubtile genus, & minutum; longius progreſſi eſtis, quam forte arbitremini. Reſtat, ut in ejuſdem imitatione, qui ſane inter Latinos maxime fuit omni genere venuſtatis, & elegantiæ Atticus, tantum ope-

ræ impendatis, quantum ingenio valetis; nec dubito, quin vos etiam plurimum laudis in hoc genere adepturi ſitis.

Hujus cap. & ſequentium de genere dicendi præcepta quære ex Orat. cap. XXIII. IV. V. VI. VII. VIII. VIIII. *De Atticis in Brut.* LXXXII. *&* III.

De Temperato genere dicendi.

CAP. V.

Temperatum dicendi genus, ſeu mediocre uberius eſt, aliquantoque robuſtius, quam illud humile, de quo dictum eſt; ſummiſſius autem, quam illud, de quo poſtea dicetur, ampliſſimum. Hoc in genere nervorum vel minimum, ſuavitatis autem eſt vel plurimum. Huic omnia dicendi ornamenta conveniunt, plurimumque eſt in hac orationis forma delectationis, & ſuavitatis. In qua multos floruiſſe apud Græcos dicit Cicero, ſed Phalereum Demetrium præſtitiſſe ceteros. De Latinis modo. quamquam hujus etiam linguæ ſunt eadem & præcepta, & genera dicendi.

Nihil itaque eſt cultus eximii, nihil præclari ornatus, quod reſpuat hoc genus dicendi: in id cadunt omnia verborum lumina, multa etiam ſententiarum. Hoc illud eſt inſigne quoddam, & florens orationis, pictum, & expolitum genus, in quo omnes verborum, omnes ſententiarum illigantur lepores. Et quoniam hæc ratio

tio dicendi fere, ut dictum eſt, ad voluptatem auditoris, & ad delectationem refertur, utendum erit iis in oratione ſingulorum verborum inſignibus, quæ habent plurimum concinnitatis in conſtructione, ut paria paribus, & ſimilia ſimilibus ſæpe referantur, ut contraria, ut geminata, ut circumſcripta numeroſe, non ad ſimilitudinem verſuum, ſed ad explendum aurium ſenſum, apto quodam quaſi verborum modo.

Quam hæc omnia ſplendida ſe ſe nobis offerunt in oratione, quam hujus generis profert e ſuis Cicero, pro Lege Manilia? *Quis igitur hoc homine ſcientior umquam aut fuit, aut eſſe debuit? qui e ludo, atque pueritiæ diſciplina, bello maximo, atque acerrimis hoſtibus, ad patris exercitum, atque in militiæ diſciplinam profectus eſt? qui extrema pueritia miles fuit ſummi imperatoris? ineunte adoleſcentia maximi ipſe exercitus imperator? qui ſæpius cum hoſte conflixit, quam quiſquam cum inimico concertavit? plura bella geſſit, quam ceteri legerunt? plures provincias confecit, quam alii concupiverunt? cujus adoleſcentia ad ſcientiam rei militaris, non alienis præceptis, ſed ſuis imperiis; non offenſionibus belli, ſed victoriis; non ſtipendiis, ſed triumphis eſt traducta?*

Quid illa? *Teſtis eſt Italia, quam ille ipſe victor L. Sulla hujus virtute, & ſubſidio confeſſus eſt liberatam. Teſtis eſt Sicilia, quam multis undique cinctam periculis, non terrore belli, ſed celeritate conſilii liberavit.* Sed quid hic ſummo cultu non eſt ornatum? Monent eſſe in hoc genere adhibenda frequentius illa ornamenta rerum, ſive quæ ſunt admirabilia, & nec

opinata, ſive ſignificata monſtris, & prodigiis, & oraculis, ſive quæ videbunrur ei, de quo agimus, accidiſſe divina. Omnis enim exſpectatio ejus, qui audit, & admiratio, & improviſi exitus, habent aliquam in audiendo voluptatem. Plura occurrunt hujuſmodi in eadem. Sunt autem illa inſignia. *Hoc tantum bellum* (piraticum) *tam turpe, tam vetus, tam late diviſum, atque diſperſum, quis umquam arbitraretur, aut ab omnibus imperatoribus uno anno, aut omnibus annis ab uno imperatore confici poſſe?* Hoc ipſum amplificat mirifice, deinde. *Pro Dii immortales! tantamne unius hominis incredibilis, ac divina virtus tam brevi tempore lucem afferre reip. potuit, ut vos qui modo ante oſtium Tiberinum claſſem hoſtium videbatis, ii nunc nullam intra oceani oſtium prædonum navem eſſe audiatis?* Alia interponuntur: tum ſequitur. *Ita tantum bellum tam diuturnum, tam longe lateque diſperſum, quo bello omnes gentes, ac nationes premebantur, Cn. Pompejus extrema hjeme apparavit, ineunte vere ſuſcepit, media æſtate confecit.* Ubi vero de felicitate ejuſdem Pompej loquitur. *Fuit enim profecto quibuſdam ſummis viris quædam, ad amplitudinem, & gloriam, & ad res magnas bene gerendas divinitus adjuncta fortuna. De hujus autem hominis felicitate, quo de nunc agimus, hac utor moderatione dicendi, non ut in illius poteſtate fortunam poſitam eſſe dicam; ſed ut præterita meminiſſe, reliqua ſperare videamur; ne aut inviſa Diis immortalibus oratio noſtra, aut ingrata eſſe videatur . . . hoc breviſſime dicam, neminem umquam tam impudentem fuiſſe, qui a Diis immortalibus*

tot,

tot, ac tantas res tacitus auderet optare, quot, & quantas Dii immortales ad Cn. Pompejam detulerunt.

Quod multa? vel ex ipſis poetis licet & prodigia, & ornamenta huc traducere, eo tamen judicio, eaque moderatione, qua pateat ſumpta inde eſſe lumina ad orationem illuſtrandam, non argumenta ad omnem ejus vim, & dignitatem obruendam. Sic pro Archia de ipſa poetarum agens facultate, & præſtantia: *Sit igitur, judices, ſanctum apud vos, humaniſſimos homines, hoc poetæ nomen, quod nulla unquam barbaria violavit. Saxa, & ſolitudines voci reſpondent; beſtiæ ſæpe immanes cantu flectuntur, atque conſiſtunt: nos inſtituti rebus optimis non poetarum voce moveamur?*

Ab hoc genere dicendi non ſolum omnes exornationes omnium cauſſarum, verum etiam latæ, eruditæque diſputationes explicantur. Nullam vero invenire poteritis Ciceronis orationem, in qua pars aliqua, vel etiam magna, non ſit hac ratione dicendi exornata.

Vide jam cit. & in Part. c. xx.

De Sublimi dicendi genere.

CAP. VI.

TErtium genus dicendi eſt illud amplum, copioſum, grave, ac vehemens, quod & ſublime dicitur. In hoc profecto vis maxima eſt. Hæc enim illa oratio eſt, cujus ornatum, co-

piam, nervos, vim in animos hominum admiratæ gentes, eloquentiam in civitatibus plurimum valere paſſæ ſunt: ſed hanc eloquentiam, quæ curſu magno, ſonituque ferretur, quam ſuſpicerent omnes, quam admirarentur, quam ſe aſſequi poſſe diffiderent. Hujus eloquentiæ eſt, tractare animos, hujus omni modo permovere: hæc modo perfringit, modo irrepit in ſenſus; inſerit novas opiniones, evellit inſitas.

Sed multum intereſt inter hoc dicendi genus, & ſuperiora. Qui in illo ſubtili, & acuto elaboravit, ut callide arguteque diceret, nec quidquam altius cogitaret, hoc uno perfecto, magnus orator eſt, ſi non maximus; minimeque in lubrico verſabitur, & ſi ſemel conſtiterit, numquam cadet. Medius ille autem, quem modicum, & temperatum vocavimus, ſi modo ſuum illud genus ſatis inſtruxerit, non extimeſcit ancipites dicendi, incertoſque caſus: etiam, ſi quando minus ſuccedet, ut ſæpe fit, magnum tamen periculum non adibit. alte enim cadere non poteſt.

At vero hic noſter, quem principem ponimus, gravis, acer, ardens, ſi ad hoc unum eſt natus, aut in hoc ſolo ſe exercuit, aut huic generi ſtudet uni, nec ſuam copiam cum illis duobus generibus temperabit, maxime eſt contemnendus. Ille enim ſummiſſus, quod acute, & veteratorie, & accurate dicit, ſapiens jam; medius ſuavis; hic autem copioſiſſimus, ſi nihil eſt aliud, vix ſatis ſanus videri ſolet. Qui enim nihil poteſt tranquille, nihil leniter, nihil partite, definite, diſtincte, facete dicere; præſertim quum cauſſæ partim totæ ſint eo modo, partim aliqua

ex

ex parte tractandæ; ſi is non præparatis auribus inflammare rem cœpit, furere apud ſanos, & quaſi inter ſobrios bacchari vinolentus videtur.

Ex his licet perſpicere, quinam perfectus orator, & eloquens haberi debeat; qui nimirum triplici hoc genere præſtat dicendi, qui & humilia ſubtiliter, & mediocria temperate, & magna graviter poteſt dicere. Quare quum in uno tantum florere magnum ſit; perpauci in omnibus æquam ſibi laudem ſint promeriti, videtis, quam ſit in hoc ſtudio elaborandum, ut inter eos, qui præſtiterunt, locum aliquem obtineatis.

Si quis tamen æque in omnibus excelluit, is unus profecto eſt Cicero, qui vere potuit de ſe ſcriptum relinquere: totam egiſſe cauſſam pro Cæcina in ſummiſſo dicendi genere; quum agendum in ea fuerit de verbis interdicti, tum res involutæ definiendæ, & enucleate explicandæ; tum laudandum jus civile, tum etiam verba ambigua diſtinguenda: fuiſſe ornandum ſibi in Manilia Lege Pompejum; ac temperata oratione ornandi copiam perſecutum eſſe: in omni autem genere amplificationis exarſiſſe pro C. Rabirio, in cujus cauſſa de majeſtate agebatur. At hæc ipſa genera dicendi interdum temperanda, & varianda ſunt. Quod autem in Accuſationis ſeptem libris non reperitur genus? Quod in Cluentii? Quod in Cornelii? quod in plurimis defenſionibus? Nulla eſt enim ullo in genere laus oratoris, cujus in Tullii orationibus non ſit aliquis (ſcribit ipſe) conatus, aut verius (ut nos prædicare poſſumus) ſumma perfectio.

Quæri poteſt, in quo præſertim ponamus hujus generis dicendi proprium characterem. Nam flu-

flumen aliis verborum, ſententiarumque copia quædam, & amplitudo cordi eſt maxime; atque in his præſertim ſupremum collocant eloquentiæ gradum. Vehementes alii, graves, copioſi, & varii cupiunt eſſe, & hac ratione grandiloqui, ad convertendos, & permovendos animos inſtructi & parati. Sed nonnulli id ipſum tentant, & conantur pleniſſimis comprehenſionibus, & effuſo quodam impetu: alii id aſſequuntur incitato quodam orationis curſu, & brevibus, & convolutis, & acervatim frequentatis ſententiis, quæ omni vi conjectæ animum pervadant, concutiant, permoveant; quæ ſint ita animatæ, ita contortæ, ut quocunque perveniant, afficiant, atque feriant. Minime quidem ego dubitarem, quin in ſingulis hiſce modis ſublimis dicendi generis veſtigia reperiantur; at ſimul exiſtimo potiorem eſſe hujus orationis laudem in vi, in impetu maximo; in occupandis, expugnandiſque animis, atque ita, ſi fieri poſſit, circumveniendis, ut ſe prius captos ſentiant, quam animadverterint.

Ut autem hanc eſſe Ciceronis ſententiam confirmem, utar ejuſdem verbis, & exemplo, qui de Craſſo in Brutum, quem oderat, dicente refert; quum forte in eadem cauſſa funere efferretur anus Junia, in eumdem Brutum acerrime inveƈtum fuiſſe. Sed Tullium audiamus, ſeu quem, inducit lib. II. de Orat. c. LV., Ceſarem.
„ Proh Dii immortales, quæ fuit illa, quanta vis?
„ quam inexſpectata? quam repentina? quum con-
„ jectis oculis, geſtu omni imminenti, ſumma
„ gravitate, & celeritate verborum: *Brute, quid ſedes? quid illam anum patri nuntiare vis tuo? Quid illis omnibus, quorum imagines duci vides?*

Quid

Quid majoribus tuis? quid L. Bruto, qui hunc populum dominatu regio liberavit? Quid te facere? cui rei, cui gloriæ, cui virtuti ſtudere? Patrimonione augendo? at id non eſt nobilitatis. ſed fac eſſe. nihil ſupereſt. libidines totum diſſipaverunt. An juri civili? eſt paternum. ſed dicet, te, quum ædes venderes, ne in rutis quidem & cæſis ſolium tibi paternum recepiſſe. an rei militari? qui numquem caſtra videris? an eloquentiæ? quæ nulla eſt in te; & quidquid eſt vocis, & linguæ in iſtum turpiſſimum calumniæ quæſtum contuliſti. Tu lucem aſpicere audes? tu hos intueri? tu in foro, tu in urbe, tu in civium eſſe conſpectu? tu illam mortuam, tu imagines ipſas non perhoreſcis? quibus non modo imitandis, ſed ne collocandis quidem tibi ullum locum reliquiſti? Sed hæc tragica, atque divina.„

Sed particulam etiam Tullii ſubjiciamus, orationis, nimirum ab ſe huic generi attributæ: Sic ille pro C. Rabirio perduellionis reo. *Quamobrem uter noſtrum tandem, Labiene, popularis eſt? Tune qui civibus Romanis in concione ipſa carnificem, qui vincula adhiberi putas oportere; qui in campo Martio, comitiis centuriatis, auſpicato in loco, crucem ad civium ſupplicium defigi, & conſtitui jubes? an ego, qui funeſtari concionem contagione carnificis veto? qui expiandum forum populi Romani ab illis nefarii ſceleris veſtigiis eſſe dico? qui caſtam concionem, ſanctum campum, inviolatum corpus omnium civium Romanorum, integrum jus libertatis defendo ſervari oportere? Popularis vero tribunus plebis, cuſtos, defenſorque juris, & libertatis. Porcia lex virgas ab omnium civium R. corpore amovit; hic*

miſericors flagella retulit. Porcia lex libertatem civium lictori eripuit; Labienus homo popularis carnifici tradidit. C. Gracchus legem tulit, ne de capite civium R. injuſſu veſtro judicaretur; hic popularis a duumviris, injuſſu veſtro, non judicari de cive R. ſed indicta cauſſa civem R. capitis condemnari coegit.

Tu mihi etiam legis Porciae, tu C. Gracchi, tu horum libertatis, tu cujuſquam denique hominis popularis mentionem facis, qui non modo ſuppliciis inuſitatis, ſed etiam verborum inaudita crudelitate, violare libertatem hujus populi, tentare manſuetudinem, commutare diſciplinam conatus es? Nam haec tua, quae te hominem clementem, popularemque delectant: I. LICTOR: COLLIGA MANUS: *quae non modo hujus libertatis, manſuetudiniſque non ſunt, ſed ne Romuli quidem, aut Numae Pompilii, ſed Tarquinii ſuperbiſſimi, atque crudeliſſimi regis, iſta ſunt cruciatus carmina, quae tu, homo lenis, ac popularis, libentiſſime commemoras*. CAPVT OBNVBITO, ARBORI INFELICI SVSPENDITO. *Quae verba, Quirites, jampridem in hac republica non ſolum tenebris vetuſtatis, verum etiam luce libertatis oppreſſa ſunt.*

In his profecto vere graviſſimis difficile ſtatuetis, num copia ſit major dicendi, num vis; num incitatiores aculei, num affluentior quidam impetus, & amplitudo vehementior. Hoc demum ſtatuetis genus eſſe dicendi ſublime.

Sed quoniam ex imitatione virtutis ſæpe in aliquod affine vitium traducimur; & ſæpe hanc oratoriam vim maximam inanis quædam profluentia loquendi æmulatur: ab hac nos cavere quam diligentiſſime debemus. Obſervavit etiam Tullius,

quod

quod nos in noſtra Italia animadvertere poſſumus, ex indole nimirum ſuæ regionis eloquentiam fere oratores moderari. Omnes enim qui probari volunt, voluntatem eorum, qui audiunt, intuentur, ad eamque, & ad eorum arbitrium, & nutum totos ſe fingunt, & accommodant. Itaque olim Caria, & Phrygia, & Myſia, quod minime politæ, minimeque elegantes erant, adſciverant aptum ſuis auribus opimum quoddam, & tamquam adipatæ dictionis genus, quod eorum vicini (non ita lato interiecto mari) Rhodii numquam probaverunt; Græci multo minus; Athenienſes vero funditus repudiaverunt; quorum ſemper fuit prudens, ſincerumque judicium, nihil ut poſſent, niſi incorruptum, audire, & elegans.

Dices: nonne maxima quaſi oratori ſcena videri concio debet? Nonne habet multitudo vim quamdam talem, ut quemadmodum tibicen ſine tibiis canere, ſic Orator ſine multitudine audiente, eloquens eſſe non poſſit? Non dico hoc loco, noſtris hiſce temporibus, minori etiam apparatu, & concurſu contentum eſſe Oratorem; dico ſolum ita multitudini accommodandam eſſe orationem, ut eam, qui prudentes ſunt, & graves, probare valeant. Pro certo autem habete, fieri poſſe, ut inanis volubilitas verborum, ut rudis, ut inculta, ut confuſa, ut barbara, ut pinguis oratio poſſit aliquibus ex vulgo imperito placere; non ita univerſæ multitudini; multo minus ſana mente hominibus; fieri autem non poſſe, ut excellens oratio vel ipſi vulgo non ſatisfaciat; ut enim excellat, debet eſſe hujuſmodi, ut etiam multitudini ſit accommodata, quum in ejus concione eſt habenda.

Hoc poſtremum in hoc gravi genere dicendi moneu-

nendum cenſeo, quod ſequitur ex dictis, ejus nimirum laudi, & præſtantiæ, quam quærimus, propinquum eſſe illum tumorem, ſeu fucum, qui eſt maxime fugendus. Nam ut corporis bonam habitudinem tumor imitatur ſæpe; ita gravis oratio ſæpe imperitis videtur ea, quæ turget, & inflata eſt, quum aut novis, aut priſcis verbis, aut duriter aliunde tranſlatis, aut gravioribus, quam res poſtulat, aliquid dicitur, hoc modo: *Nam qui perduellionibus venditat patriam, non ſatis ſupplicii dederit, ſi præceps in Neptunias depultus erit lacunas. Pœnitet igitur iſtum, qui montes belli fabricatus eſt, campos ſuſtulit pacis.* In hoc genus qui declinarunt, ſpecie gravitatis falluntur, nec proſpicere poſſunt orationis tumorem.

Unde ſuperiora. vide praet. II. *Or.* LXXXIII. *Orat.* V. VIII. & XVI. IV. *ad Her.* X.

De Decoro.

CAP. VII.

MAgni erit opus judicii, & ſummæ facultatis moderari pro cauſſarum ratione, & quaſi temperare hanc tripertitam dicendi varietatem. Ad id enim opus eſt, & judicare, quid cuique opus ſit, & poſſe quocunq. modo poſtulabit cauſſa, dicere. Sed eſt eloquentiæ, ſicut reliquarum rerum, fundamentum ſapientia. Ut enim in vita, ſic in oratione, nihil eſt difficilius, quam, quid deceat, videre. Id autem eſt, quod Latini decorum appellant; de quo præclare, & multa præcipiuntur,

&

& res eſt cognitione digniſſima. Hujus ignoratione non modo in vita, ſed ſæpiſſime & in poematis, & in oratione peccatur.

Eſt autem quid deceat oratori videndum, non in ſententiis ſolum, ſed etiam in verbis. Non enim omnis fortuna, non omnis honos, non omnis auctoritas, non omnis ætas; nec vero locus, aut tempus, aut auditor omnis, eodem aut verborum genere tractandus eſt, aut ſententiarum: ſemperque in omni parte orationis, ut vitæ, quid deceat, eſt conſiderandum: quod & in re, de qua agitur, poſitum eſt, & in perſonis & eorum, qui dicunt, & eorum, qui audiunt. Itaque hunc locum longe, & late patentem philoſophi ſolent in officiis tractare: interpretes in poetis; eloquentes in omni & genere, & parte cauſſarum. Quam enim indecorum eſt, de ſtillicidiis quum apud unum judicem dicas, ampliſſimis verbis, & locis uti communibus: de majeſtate populi R. ſummiſſe, & ſubtiliter? Hic genere toto aberraretur.

Alii peccant perſona, aut ſua, aut judicum, aut adverſariorum, aut quorumlibet auditorum; nec re ſolum, ſed ſæpe verbo. nam etſi ſine re nulla vis verbi eſt, tamen eadem res ſæpe aut probatur, aut rejicitur alio, atque alio elata verbo. In omnibuſque rebus videndum eſt, quatenus. etſi enim ſuus cuique modus eſt, tamen magis offendit nimium, quam parum. In quo Apelles pictores quoque eos peccare dicebat, qui non ſentirent, quid eſſet ſatis. Magnus eſſet locus hic, & magnum volumen aliud deſideraret: ſed ad id, quod agitur, illud ſatis: quum hoc ipſum, quod decere dicimus, quodque non decere, ſatis perſpectum habebimus, ac quantum

tum interſit, utrum decere, an oportere dicamus.

Oportere enim perfectionem declarat officii, quo & ſemper utendum eſt, & omnibus: decere, quaſi aptum eſſe, conſentaneumque tempori, & perſonæ; quod quum in factis ſæpiſſime, tum in dictis valet, in vultu denique, & geſtu, & inceſſu; contraque dedecere. Quod ſi poeta fugit, ut maximum vitium; qui peccat etiam contra decorum, quum probam orationem affingit improbo, ſtultove ſapientis: ſi denique pictor ille vidit, quum immolanda Iphigenia triſtis Calchas eſſet, mœſtior Ulyſſes, mœreret Menelaus, obvolvendum caput Agamemnonis eſſe, quoniam ſummum illum luctum penicillo non poſſet imitari: ſi denique hiſtrio, quid deceat quærit: quid faciendum oratori putemus? Sed quum hoc tantum ſit; quid in cauſſis, earumque quaſi membris faciat, orator viderit. Illud quidem perſpicuum eſt, non modo partes orationis, ſed etiam cauſſas totas alias alia forma eſſe tractandas.

Genus igitur dicendi eſt eligendum, quod maxime teneat eos, qui audiant, & quod non ſolum delectet, ſed etiam ſine ſatietate delectet. Quod ut aſſequamur, non ſolum ſuavi, & leni oratione, verum etiam gravi, & vehementi; neque ſolum in placida animi tranquillitate, verum etiam gravi, & vehementi; neque ſolum in concitatis perturbationibus, non modo cavendum eſt, ne inſulſa, ne nimium exilis, ne inculta, ne vulgaris, ne obſoleta, ſit oratio; ſed curandum diligenter, ut apte compoſita, & ornata, & inſtructa ſit.

Orna-

Ornatur autem oratio genere primum, & quaſi colore quodam, & ſucco ſuo. nam ut gravis, ut ſuavis, ut erudita ſit, ut liberalis, ut admirabilis, ut polita, ut ſenſus, ut dolores habeat, ut vim, ut ſpiritum, quantum opus ſit, non eſt ſingulorum articulorum; in toto ſpectantur hæc corpore. Ut porro conſperſa ſit quaſi verborum, ſententiarumq. floribus, id non debet eſſe fuſum æquabiliter per omnem orationem, ſed ita diſtinctum, ut omni in parte admota ſint, quæ decent, lumina, & quæ cenſentur aptiora, ad capiendos animos tum inſigniora ornamenta, tum incitamenta graviora.

Hæc igitur ſapientia maxime adhibenda eloquenti eſt, ut ſit temporum, perſonarumque moderator. Nam nec ſemper, nec apud omnes, nec contra omnes, nec pro omnibus, nec omnibus eodem modo dicendum eſt. Quare is erit eloquens, qui ad id, quodcunque decebit, poterit accommodare orationem. Quod quum ſtatuerit, tum, ut quidque erit dicendum, ita dicet: nec ſatura jejune, nec grandia minute, nec item contra; ſed erit rebus ipſis par, & æqualis oratio.

De Orat. XXI. XXII. XXV. XXVI. III. *de Orat.* XXV.

De Actione.

CAP. VIII.

DE aliis Rhetoricæ partibus ita egimus; ut quamquam tractatus ipſos minime diſtinximus,

mus, quod commode fieri non poterat; tamen ea dixerimus, quæ videbantur eloquentiæ ſtudioſis uſui fore. De Actione, & memoria ſupereſt ut aliqua dicamus; ne fruſtra videantur inter hujus partes facultatis enumeratæ.

Ac primum Actio tantum valet in dicendo, ut una dominari putetur; ut hæc ſit quaſi corporis quædam eloquentia; quum conſtet e voce, & motu. Sine hac ſummus orator vix ullo erit in numero; mediocris hac inſtructus ſummos ſæpe vel adæquat, vel ſuperat. Huic primas dediſſe Demoſthenes dicitur, quum rogaretur, quid in dicendo eſſet primum; huic ſecundas, huic tertias.

Ad actionis uſum, atque laudem plurimum habet momenti vox; quæ primum eſt optanda nobis ad dicendum apta. non eſt enim in nobis. bene quidem in nobis eſt ejus tractatio, & uſus. Vocis autem mutationes totidem ſunt, quot animorum, qui maxime voce commoventur. Bonus itaque orator, utcumque ſe affectum videri, & animum audientis moveri volet, ita certum vocis admovebit ſonum. Quare & contenta voce dicet atrociter, & ſummiſſa leniter, & inclinata graviter, & inflexa miſerabiliter. Mira eſt enim quædam natura vocis: cujus quidem e tribus omnino ſonis inflexo, acuto, gravi tanta ſit, & tam ſuavis varietas perfecta in cantibus.

Licet hic animadvertere, quod pluribus in rebus aliis contingit, ut quod maxime eſt utile, id etiam deceat maxime. Nam ad vocem obtinendam nihil eſt utilius, quam crebra mutatio; nihil pernicioſius, quam effuſa ſine intermiſſione

con-

contentio. Quid autem ad aures noſtras, & actionis ſuavitatem, quid eſt viciſſitudine, & varietate, & commutatione aptius? In omni voce eſt quiddam medium, ſed ſuum cuique voci. Hinc gradatim aſcendere vocem utile, & ſuave eſt. Nam a principio clamare, agreſte quiddam eſt; & quemadmodum illud ad firmandam vocem ſalutare, ſic illud ad infringendam accommodatum. Deinde eſt quiddam contentionis extremum, quod habet acutiſſimum clamorem, ad quem incomptum eſt pervenire. Eſt item contra quiddam in remiſſione graviſſimum, quoq. tamquam ſonorum gradibus deſcenditur. Hæc varietas, & hic per omnes ſonos vocis curſus, & ſe tuebitur, & actionis afferet ſuavitatem.

Incredibilis videtur, attamen vera, in hac parte Gracchi diligentia. Is quum concionaretur, ſolitus erat occulte poſt ſe cum eburneola habere fiſtula Licinium quemdam peritum ſervum, qui quum eſſet opus, fiſtulam celeriter inflabat, eumque ſonum edebat, quo illum aut remiſſus dicentem incitaret, aut a nimia contentione revocaret. Verum hæc nimium exquiſita videbuntur: nec ea certe imitanda propono; ſed eo vellem referrentur; quo cenſeo oportere; ut intelligatis, non eſſe rem nullius momenti, vocem orationi accommodare, & ad omnem ejus motum inflectere.

Non dicam hic, quod norunt omnes, cavendum nobis eſſe in pronunciando a quibuſdam flexionionibus, quæ prope canticum efficiunt; quo nihil turpius in actione. Eſt quidem, eſt etiam in dicendo cantus quidam, ſed obſcurior, quo grata, quo ſuavis, quo acuta, vel inflexa

vox emittitur, pro rerum varietate; ſed naturalis is eſſe debet, atque ab ipſo motu animi etiam ſine fiſtula, & fiſtulatore expreſſus. Alia minutiora, quid ego præcipiam, quæ omnes noverunt? Quis non intelligit, prave illum pronunciare, qui neque interpuncta, neque interſpirationes diſtinguit? qui ſenſus ipſos peſſime diſtorquet; qui neq. conſiſtere omnino in exitu norit comprehenſionis; neq. paullulum hærere, quum eſt opus, in morulis interiectis ad reſpirandum in ipſo ſententiæ curſu nondum abſoluto?

Nunc quæ ſuperſunt de geſtu, qui actionis altera pars eſt, videamus. Omnes igitur vocis motus perſequetur geſtus, non verba quidem exprimens, ſcenicus; ſed univerſam rem, & ſententiam non demonſtratione, ſed ſignificatione ſubſequens, & declarans, virili utens, & forti laterum inflexione, non ab ſcena, & hiſtrionibus comparata. Status vero erectus ſit, & celſus, rarus inceſſus, non ita longus; excurſio moderata, eaque rara. trunco magis toto ſe ipſe orator moderetur, bracchi projectione in contentionibus, contractione in remiſſionibus. nullæ ſint argutiæ digitorum; non ad numerum articulus cadens. ſupploſio pedis erit opportuna quandoque in contentione aut incipienda, aut finienda; ſed quum vis ipſa poſtulabit.

Vultus vero, qui ſecundum vocem plurimum poteſt, quantam affert tum dignitatem, tum venuſtatem? Animi certe debet eſſe omnis actio; & imago animi vultus eſt; indices oculi. Nam hæc eſt una pars corporis, quæ quot animi motus ſunt, tot ſignificationes, & communicatio-

nes

nes poſſit efficere. Quare oculorum eſt magna moderatio. nam oris non eſt nimium mutanda ſpecies; ne aut ad ineptias, aut ad pravitatem quamdam deferamur. Oculi ſunt, quorum cum intentione, tum remiſſione, tum conjectu, tum hilaritate, tum mœſtitia, tum declinatione, motus animorum ſignificamus apte cum genere ipſo orationis. Eſt enim actio quaſi ſermo corporis, quo magis menti congruens eſſe debet. Oculos autem natura nobis ad motus animorum declarandos dedit.

Igitur in hac oratoris actione ſecundum vocem vultus valet; is autem oculis gubernatur. Atque in iis omnibus, quæ ſunt actionis, ineſt quædam vis a natura data. Quare etiam hac imperiti, hac vulgus, hac denique barbari maxime commoventur. Verba enim neminem movent, niſi eum, qui ejuſdem linguæ ſocietate conjunctus eſt; ſententiæque ſæpe acutæ non acutorum hominum ſenſus prætervolant. Actio, quæ præ ſe motum animi fert, omnes movet. iiſdem enim omnes animi motibus concitantur; & eos iiſdem notis, & in aliis agnoſcunt, & in ſe ipſi indicant.

III. *de Orat.* LVI. VII. IX. X. XI. *Orat.* XVII. XVIII.

De Memoria.

CAP. IX.

QUis ſit Oratori memoriæ fructus, quanta utilitas, quanta vis, quid me attinet dicere?

cere? Ne in ceteris quidem facultatibus ſine memoria proficere multum poſſumus: quum ea fere ſciamus, quorum recordamur; quæque vel audiviſſe, vel didiciſſe, vel legiſſe, vel etiam aliquando inveniſſe, meminerimus. Quid autem in arte dicendi? Tenere, quæ ipſe cogitaveris; omnes fixas habere in animo ſententias; omnem deſcriptum verborum apparatum; omnia quæ paraveris, proferre qui poteris, niſi prius omnia rerum hoc theſauro, memoria nimirum, complexus fueris, atque ita habeas in promptu, ut ad nutum ea valeas effundere? Sed memoriam eſſe uſui maximo ad dicendum plane vident omnes; non ita facile, ſi deſit, valent invenire.

Duæ ſunt memoriæ, naturalis altera, & altera artificioſa. Naturalis eſt ea, quæ noſtris animis inſita eſt, & ſimul cum cogitatione nata. Artificioſa eſt ea, quam confirmat inductio quædam, & ratio præceptionis. Nunc de artificioſa loquamur; nam de naturali nihil eſt præcipiendum, niſi ut illam colamus, & exerceamus aſſidue; quum & ipſa hac ratione, ſicuti habitus ceteri animorum, & conſervetur, & augeatur.

Conſtat igitur artificioſa memoria ex locis, & imaginibus. Locos appellamus eos, qui breviter, perfecte, inſignite aut natura, aut manu ſunt abſoluti, ut eos facile naturali memoria comprehendere, & amplecti queamus, ut ædes, intercolumnium, angulum, fornicem, & alia, quæ his ſimilia ſunt. Imagines ſunt formæ quædam, & notæ, & ſimulacra ejus rei, quam meminiſſe volumus, ut equi, leones, aquilæ, quorum memoriam ſi volemus habere, imagines eorum certis in locis collocare nos opportebit.

Quem-

Quemadmodum igitur, qui litteras ſciunt, poſſunt id, quod dictatum eſt, ſcribere, & recitare, quod ſcripſerunt; ſic qui hanc artem didicerint, poterunt, quæ audierunt in locis collocare, & ex his memoriter pronunciare. Loci enim ceræ, aut chartæ ſimillimi ſunt; imagines litteris; diſpoſitio, & collocatio imaginum ſcripturæ; pronunciatio lectioni. Oportet igitur, ſi volumus multa meminiſſe, multos nobis locos comparare, ut in multis locis multas imagines collocare poſſimus. Sed neceſſe eſt ita certo ordine habere diſtributos hos locos, ut nulla unquam perturbatione impediamur, aut a recta rerum ſerie transferamur.

Hæc, quæ ad memoriam adjuvandam inventa fuerunt, & quorum artis ptimum inventorem perhibent fuiſſe Simonidem quemdam, non equidem negaverim, non mediocri eſſe uſui poſſe in rebus percipiendis, retinentiſque. Sed longius progreditur Auctor ad Herennium lib. III.; atque ita de hiſce rebus diſputantem inducit Antonium Cicero lib. II. de Orat. cap. LXXXVI. VII. & VIII. ut utrinque appareat vaſta, & magna naturali memoria opus eſſe ad hanc artem perdiſcendam. Quare his contentus præceptionibus, quæ tamen percommodæ poſſunt eſſe ad res plures percipiendas, ad verba autem retinenda omnia plus operæ poſtularent in toto locis apparandis, diſtribuendiſque, quam in verbis alia ratione memoriæ mandandis ſit neceſſe: hortabor utilius adoleſcentes, quod a principio facere inſtitui, ut, quam nacti ſunt, naturalem memoriam exerceant aſſidue, ac diligenter: aſſueſcant plura diſcere ad verbum, plura memoriter recitare,

citare, plura agere pro ætate, & appoſite pronunciare; omnium vero, quæ legerint, ſummatim ſaltem, memoriam repetere, capita colligere; ſi quid fugerit, revocare; atque hac ratione, quam a natura vel mediocrem, vel bonam, vel optimam ſortiti ſunt; efficere meliorem, vel confirmare præſtantem.

FINIS.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

ALTE-

ALTERIUS PARTIS RHETORICARUM INSTITUTIONUM *CAPITA.*

LIBER I.

RHETORICORUM.

Cap. I. QUid ſit Rhetorica; quod officium, & qui finis oratoris. pag. 3
Cap. II. De Rhetoricæ materia. 4
Cap. III. De partibus Rhetoricæ. 6
Cap. IV. Quibus auxiliis Eloquentia comparetur; ac primum de Arte. 7
Cap. V. De Exercitatione. 8
Cap. VI. De Imitatione. 9
Cap. VII. De Inventione Argumentorum. 13

De Argumentationibus Oratoriis.

Cap. VIII. Quid, & quotuplex ſit argumentatio. 17
Cap. IX. De Inductione, & Exemplo. 19
Cap. X. De Ratiocinatione. 28
Cap. XI. Quotuplex ſit Ratiocinatio. 22
Cap. XII. De Enthymemate. 38
Cap. XIII. De Complexione, ſeu Dilemmate. 43
Cap. XIV. De Enumeratione, ſimplici Concluſione, & Sorite. 46

LI-

LIBER II.

DE ORATIONE, ET EJUS PARTIBUS.

Cap. I. Quod ſit Oratio, quodque ejus partes. 52
Cap. II. Quid, & quotuplex ſit exordium; quæque ipſius munera. 53
Cap. III. Quandonam uti principio, & quando inſinuatione ſit opus. 64
Cap. IV Quid in exordiis conficiendis curandum, quid cavendum, & unde ſumenda. 71
Cap. V. De Exordiorum menſura. 74
Cap. VI. De Propoſitione, & Partitione. 78
Cap. VII. De Narratione: Quid ea ſit, & qui ejus characteres. 85
Cap. VIII. De Confirmatione. 91
Cap. IX. De ratione variandæ Confirmationis. 93
Cap. X De Confutatione, ſeu reprehenſione. 99
Cap. XI. De Digreſſione. 103
Cap. XII De Peroratione. 108
Cap. XIII. De variis amplificationis, ſive animorum commovendorum locis. 110
Cap. XIV. Quid affectus ſint; & qua ratione permovendi. 125

LIBER III.

DE CAUSSARUM, ET DICENDI GENERIBUS.

Cap. I De Genere Exornativo. 136
Cap. II. De Genere deliberativo. 143
Cap. III. De Genere judiciali. 155

Cap.

Cap. IV. De dicendi generibus, ac primum de ſubmiſſo, ſeu humili. 159
Cap. V. De Temperato genere dicendi. 164
Cap. VI. De Sublimi dicendi genere. 167
Cap. VII. De Decoro. 174
Cap. VIII. De Actione. 177
Cap. IX. De Memoria. 181

Vidit D Michael Angelus Griffini Clericus Regularis S. Pauli, & in Eccleſia Metropolitana Bononiæ Pœnitentiarius pro Eminentiſſimo, ac Reverendiſſimo Domino D. Vincentio Malvetio Archiepiſcopo Bononiæ, & S. R. I. Principe.

Die 11. Novembris 1766.

REIMPRIMATUR.

Fr. Joſeph Maria Pettoni Vicarius Generalis S. Officii Bononiæ.

AAa 3258